GEORGII HORNII
DEFENSIO DISSERTATIONIS
DE VERA
ÆTATE MUNDI,
CONTRA
CASTIGATIONES
ISAACI VOSSII:

QUA

Hebræa Biblia eorumque Authentica & incorrupta veritas contra objectiones, ex Lxx. Interpr. Samarit. Josepho, Chaldæis, Ægyptiis, Sinensibus, asseruntur.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOANNEM ELSEVIRIUM
& PETRUM LEFFEN,
cIↃ IↃc LIX.

Nobilissimis, Amplissimis & Prudentissimis Viris,

D. AMELIO A BOUCHORST, Wimmenumi Domino, Ex ordine Equestri in Delegatorum Hollandiæ Ordinum Collegio Præsidi, Rhenolandiæ Aggerum Comiti.

D. GERARDO SCHAEP, J. C. Cortenhouvii Domino, Consuli Amstelodam. & ad Reges Daniæ Sueciæque Exlegato.

D. CORNELIO DE BEVEREN, Equiti, Strevelshoeckii, West Isselmondæ, Lindæ, &c. Domino, in Concilio Præpot. Hollandiæ Ordinem Ordinario Assessori, ad Reges Britanniæ & Daniæ Exlegato.

Academiæ Lugd. Bat. Curatoribus; Eorumque Collegis,

D. JOHANNI vander MAERSCHE.
D. MAURITIO vander AA.
D. WILHELMO HASIO.
D. HENRICO A WILLINGEN, J. C. Florentiss. Reip. Lugdunensis Consulibus.

NEC NON

Amplectissimo, Consultissimoque Viro.

D. JOHANNI A WEVELINCHOVEN, J.C. Reip. Leidensis Syndico & Academiæ Curatoribus à Secretis.

Dominis suis colendis

D.C.Q.

GEORGIUS HORNIUS.

Quandoquidem Vir nobilis & Ampliſſimus Iſaacus Voſſius,ſuam de ætate mundi opinionem, bis Illuſtriſſ. Slingelandio inſcripſit,ego autem me illi, ſolo veritatis amore,nulla malignitate aut odio inductus, oppoſui : non ægre feretis ſi & ipſe ſecunda vice vobis moleſtus ſim & ad vos defenſionem meam contra illius Caſtigationes deferam.Egit ille mecum paulo,quod ne amici quidem ipſius diffitebuntur,inhumanius, dum quædam exprobravit quæ nihil ſane ad ætatem mundi faciunt: ubi autem vel in ſpeciem quid pro ſua opinione allegare potuit, non contentus ſimplici refutatione, opprobria multa congeſſit, adeoque,

 quod

quod factum nollem, imaginem quandam animi sui impotentis descripsit, & quam parum affectus suos regere sciat, ostendit. Mihi quidem difficile non fuisset, paria referre, sed temperavi stylum quantum potui, ac modeste quædam capita defendi, quæ ille nulla ratione castiganda susceperat. Quæ spectant historias profanas, non ero difficiles, quin ipsi, sicubi melioribus nitatur fundamentis, palmam libenter concedam: ut autem textum Hebræum à Judæis corruptum admittam, nondum sane suis ille argumentis apud me efficere potuit, neque nunquam credo efficiet. Et quia conqueritur sibi rem esse cum imbelli adversario qui forti sibi esse non permittat, ac ipse dicit hanc eruditis Theologis & pasto-

ribus

ribus Ecclesiarum rectius curam relinqui: ultro hanc ipsius conditionem accipio, ac provoco ad eruditus Theologos Ecclesiarumque Pastores, nominatim (quia ipse Bochartum, Dallæum, Amyraldum, Gallos judices sibi elegit) ad Voetium, Maresium, Altingium, vel quoscunque ipse ex Belgis probaverit. Vos autem Viri Nobilissimi, Amplissimi, Prudentissimi, illi parte favete, penes quam veritatem & sinceritatem deprehendetis. Lugd. Bat. xx. Junii cIↃ.IↃc LIX.

AD LECTOREM.

Cum temporis angustia & aliæ occupationes nunc non permittant ut omnibus sigillatim quæ in Castigatione præfationis occurrunt, respondeam, pauca tantum monebo, cæteris in aliam occasionem rejectis.

In Dissertatione tua cum in universum statuisses textum Hebræum Mosaicum (de hoc. n. præcipue agis,) corruptum esse (p. 5.8.) *& hujus sententiæ tuæ absurditatem postea vel ipse vel ab aliis monitus, videres, σοφὸν φάρμακον adhibes in Castigatione: te corruptionem illam de annis tantum intellexisse.* Quæcunque ego de annis Patriarcharum quorundam dixi, hæc ille de tota Hebraica scriptura me dixisse calumniatur. *Præf. ad Slingeland. Te autem toti textui Mosaico vitium corruptionis adscripsisse tum ex verbis tuis tum ex rationibus quibus uteris, patet. Hoc enim primum argumentum tuum est quo textum Hebræum Mosis corruptelæ arguis: quia* Mosis non habemus autographum. *Illo autem æque caremus in aliis ac in annis Patriarcharum. Deinde librarios hujus corruptionis authores arguis. At illi æque in aliis locis atque annis Patriarcharum errare potuerunt. Denique ex varietate lectionum vis probare non Mosen tantum sed & Prophetas Evangelistas ac Apostolos esse corruptos.* (*Pag.* v. *diss.*

Nullam

Nullam igitur calumniam commisi dum dixi te Scripturam corruptionis arguisse, cum præsertim dicas in N. Test. tantam esse lectionem varietatem ut siquis omnes inter se committeret codicis, quot verba totidem pene sit inventurus discrepantias. *Pag.* v. *Dissert. Vide etiam pag.* 7. 8. 9. 15. 19.

Et inde concludis; si N. Test. adeo corruptum sit, multo magis de V. Test. hoc putandum. Tibi autem unum idemque esse variam lectionem, discrepantiam in vocabulis quibusdam, ac corruptionem, ex his tuis liquet: Undenam ergo illa lectionem varietas promanavit? Cum enim in omni discrepantia aliqua sit corruptela. *&c.* (*Præfat. Castigat. ad Slingeland.*)

Etsi vero versionem Græcam longe puriorem & incorruptiorem statuas quam textum Hebræum, quem etiam per contemtum, Judaicum & Masoreticum vocare soles; nihilominus Codicem Hebræum præferendum Græcæ translationi dicis (*Præf. ad Slingeland.*)

En adrasteian! Si præferendus, ergo melior & incorruptior Græca versione est. Semper enim id quod melius & incorruptius, alteri quod minus tale est, præfertur. Nosti Glaucum propterea stolidum à Poëta apellari quod aurea æreis permutavit. Sed mox tuam liberalitatem restringis & veritatem Biblicam aut Hebraicam, siquidem ita appellare libuerit, non è solis Masoretharum editionibus esse haurendam dicis.

Hoc

Hoc nimirum vis, corrigendum textum Hebræum ex versione LXX. interpretum: id quod tibi Batavi non concedent: nosti enim quid in eam rem decretum sit & publicè sancitum.

Nullo me odio erga te ductum in hac quæstione, quandoquidem meæ asseverationi non credes, ex illis qui amicitia tua fruuntur, quique totius rei conscii sunt, intelligere posses. Itaque non possum illa verba tua admittere: Unicum hominis propositum fuisse ut pleraque nostra dicta odiose traduceret. *Nam quod dixi de Samaritano Codice, id extat tuæ differt. pag. V. Loqueris quidem conditionaliter; sed cum ego conditionem acceptem, ac statuam textum Mosis à corruptione præservatum, non tantum quoad sensus ut tu vis, verum etiam quoad literarum formas ac linguam, quam tandem tibi injuriam infero aut malignitatem ostendo, cum tu, datâ hac conditione, ipse inferas:* Verum jam longè nobis sanctior esse debebit Samariticus Codex atque Hebraicus? *Nullam etiam malignitatem me ostendisse in aliis duobus, quæ profers, locis verba tua integra ostendunt. pag. xxx.* patet Septuaginta Senum versionem, cum multis aliis in locis tum præcipue in annorum supputatione multo ad nos incorruptiorem pervenisse. Pag. XLIX. nos vero auctoritate veteris Scripturæ Hebraicæ, qualis illa fuit antequam à Iudæorum Magistris interpolaretur.

Quis

Quis non videt ex his verbis te statuere, Veterum Scripturam Hebraicam aliam fuisse antequam interpolaretur à Judæorum Magistris? *Nullam igitur malignitatem commisi in verbis tuis & sententia. Nam reliqua loca, quia silentio præteris, ideo etiam agnoscis tanquam tua; extant autem pag.* VI. VIII. XIX. XXIX. XLIX *ex quibus lector facile deprehendet quam comtemtim de Scriptura sacra Hebraica & sentias & loquaris.*

Misere tibi contradicis dum Codicem Hebræum corruptionis reum peragis. Cap. III. *dissertat. tuæ pag.* VIII. *ita loquens*: Ostendemus Græcam translationem, ut INNUMERIS aliis in locis, ita quoque in annorum supputatione LONGE Hebræorum voluminum calculo esse anteponendam. *In dedicat. Castigat. ad Slingeland. dicis*: si anni Patriarcharum minus corrupti sunt in versione LXX. atque in Godice Hebræo, an ideo sequitur Codicem Hebræum non esse præferendum Græcæ translationi? *Cum prius dixisses translationem Græcam non tantum in annorum supputatione, verum etiam INNUMERIS aliis in locis longè præferendum Codici Hebræo; nunc contrarium dicis & corruptionem illam restringis ad annos Patriarcharum, ac Codicem Hebræum Græco præferendum. Vides quid sit malam sententiam defendere. Inspice cap.* II. *Dissert. tuæ ubi ita dicis*: Videor mihi jam multos tanquam ex tripode audacter affir-

mantes audire, nequaquam dubitandum esse quin Codex Hebraicus unus omnibus sit præferendus, eique soli tanquam normæ veritatis adhærendum, utpote unde ceteræ versiones promanarint. Bene sane, si Mosis haberemus autographum. *Nulla erga Calumnia est cum dixi ex tua sententia consequi codicem Hebræum non esse præferendum LXX. versioni.*

Te vero ineptum esse oportet qui quod dixi de Codicibus Homeri & Virgilii tam male intellexisti, tam insulsè exagitasti. Locutio illa non absoluta est, ut loquuntur, sed comparata. Tu dicis textum Hebræum adeo corruptum ad nos pervenisse ut ex versionibus suis, imprimis LXX. corrigendus sit. Ergo deterior conditio Bibliorum Hebræorum esset quam Homeri & Virgilii: quia illi adeo incorrupti ad nos pervenerunt ut ex nullis versionibus corrigantur. Quis enim unquam Homerum aut Virgilum ex versionibus suis corrigendos dixit? Disce igitur distinguere locutiones comparatas & secundum quid ab eo quod simpliciter & nullo respectu dicitur. Et præterea semper ex varietate lectionem corruptionem concludis, idque ineptissime. Quam multæ lectiones variant quæ tamen nullam textui corruptionem inducunt? Tu verò operose enarras quomodo codices Homeri & Virgilii Grammatici correxerint. Quis hoc ignorat? & tamen ipsi illi correctores sæpius quod rectum erat detorserunt, quod sanum corruperunt, ut tu in Hebræo textu facis.

Quod

Quod Codices Homeri & Virgilii incorruptos adhuc pervenisse dixi, mire tumultuaris & prodigiose ineptum fatuumque statuis ita loqui, Tibi ergo hoc dictum puta: nam post duas pagellas ipse dicis, scripta Virgilii & Officia Ciceronis, maxime ad nos incorrupta venisse. *Ego tantum simpliciter dixi incorruptos, tu addis maxime. Si ergo ego prodigiose ineptus & fatuus propterea sum, de te quid judicandum sit alii viderint.*

Quod versionem Syriacam in Pentateuchum tempore Salamonis, authoritate Hirami, & in N. Test. à Thaddæo Appostolo confectam dixi, nititur traditionibus Syrorum tam bonis, ut tu meliores pro LXX. *tuis producere nequeas. Rejicis autem omnia quæ tibi adversantur, quo jure, qua injuria, perinde habes. Quæ de Onkelos dicis & Aquila, ex aliis transscripsisti & notissima sunt: neque opus erat ut hoc, velut è suggestu doceres. Antiquitissimas esse illas translationes Chaldaicas tradunt qui linguarum peritissimi sunt. Fabulæ quædam postea à Rabbinis insertæ fuerunt. Sed quidquid de Masoretis, literis & vocalibus Hebræis tradis, tibi parum cognita, nisi quantum ex Capello habes, longe melius ex Buxtorfii Tiberiade disces, cujus scripta, ut & quæ Junius Capello respondit, si legeres, si intelligeres, longe sanè plus, quam hactenus, in Hebræo textu & linguis Orientalibus, saperes. Masora cœpit à viris Synagogæ magnæ, cujus caput erat Esra, & per multa secula continuata,*

 adeo-

adeoque Christo antiquior fuit. Ut pudendum sit illud quod de Massoretis ante duo, tria & quatuor secula nugaris. Correctissimis & indubitatis exemplaribus quin usus fuerit Esra Propheta, an tu dubitas? Et an præter ipsum Mosis autographum nulla indubitata exemplaria Prophetæ habuerunt? Tu profecto illorum reus es quæ mihi Castigation. 1. exprobas, & crassam inscitiam passim ostendis.

Quod dicis Samaritanos characteres Mosis & Prophetarum servare, id jure meritoque & absurdum & falsum viri orientalium linguarum peritissimi pronunciant. Testimonium Hieronymi in hac Causa unum est & non sufficit. Rabini aliqui, non omnes, non cum aliis qui negant, conferendi, hoc asserunt. Quantum autem nummis qui Samaretanos characteres ostendunt tribuendum sit, potes videre in Cippis Hebræorum Hottingeri. Non omnes literis Samaritanis sunt inscripti, & extant longè vetustiores qui literas Hebræas ostendunt. Neque quia Scaliger stultos & asinos vocat qui tibi non assentiuntur, ideo hoc verum est: nam ipse errores Scaligeri passim magno numero castigas, quibus etiam hunc addere poteris.

Jam in quibus me errasse & merito à te castigatum esse fatear, exponam. Codicem Bezæ eundem esse cum illo qui Cantabrigiæ asservatur; ignorabam. Philonis testimonium, Cainanem omittentis, est spurium, adeo-

que

quæ nullius momenti. Sexennio in morte Semi à me aberratum. Sunt & minuta quædam quæ ipse ad cap. VII. *obiter tangis; sed vocabulum* persona *pro hominibus rectè sumitur: non enim larvam tantum significat ut ex probatis authoribus nosti. Quia igitur in minutiis quibusdam prætermittendis tam ingenuus fuisti, neque ego in tuis, ubi quædam occurrunt, volui esse occupatior.*

Nescio serio me interroges, quid intellexit per Ecclesias Occidentales? an illas quæ Græcis, an verò eas quæ nobis ad occidentem sunt sitæ? *Non arbitror te de mente mea dubitasse cum hæc scriberes, sed facetus scilicet videri voluisti. Notum est quid Scriptores Historiæ Ecclesiasticæ per Occidentales & Orientales Ecclesias intelligant, & ubi terminum illius divisionis constituant, non opus est te hæc docere. Nisi forte cum in Suecia esses alias habuisti Ecclesias Occidentales quam nunc Hagæ. Parum hæc decent sublimitatem sapientiæ tuæ.*

Quæ de fortuna, casu, cæca stolidorum patrona & aliis à te in præfatione dicuntur, quia ipse sensus tuos involvis, tanquam parum te digna, & nihil ad quæstionem facientia, etiam prætereo. Tu vero si adeo fortunatus es, memento Solonis & Crœsi, ac

Fortunam reverenter habe.

Hoc vero ridiculum quod illis qui Capelli Criticam sacram rejiciunt & refutant, auctor es ut diligentius le-

gant Capellum, & quidem eousque doces discussa ingenii nebula lumini adsuefiant ac agnoscant se in sole cœcutiisse. *Buxtorfius igitur hinc discat quid sibi agendum sit, & quod non responsum ad illa quæ Capello objecit, expectare debeat, sed sibi pœnæ loco impositam sciat perpetuam Capelli lectionem, donec nimirum agnoscat se in sole cœcutiisse ac lumini adsuefiat. Dura certe conditio & immitis, & quam si tibi quis præscriberet, ut nimirum* diligentius legeres Mosen Hebræum & quidem eousque, donec discussa ingenii nebula lumini adsuefias ac agnoscas te in sole cœcutiisse, *posset se tuo exemplo excusare qui non alia pœna dignos judicas illos qui Capello assentiri nolunt. Breve hoc compendium respondendi aliis est.*

Animus tuus hinc quoque conspicitur, quod nihili facis communem Christianorum sæculi nostri consensum, sed solus omnibus te anteponere & opponere audes. Ita enim in præfatione fateris, te conatum fuisse persuadere neque alte nimium, neque etiam tam prope esse petenda temporum principia atque faciunt hodierni Judæi, & quod factum nolles, plerique seculi nostri Christiani. *Ubi non absque morsu, Judæos hodiernos facis quasi antesignanos Christianorum, qui laternam errantibus Christianis præferant ac viam præluceant. Neque hic stat novaturiendi libido, sed insuper* obstinationem *Christianis adscribis &* audaciam

ciam

ciam *&* ἀλογίαν, *cum* neque rationes neque authoritates adferant ullas quibus hebraici codicis sinceritatem adstruant vel aliorum labefactent sententiam. *Nullas ergo rationes vel authoritates attulit Buxtorfius contra Capellum? nullasne tot insignes viri alii, qui Codicem Hebraum contra corruptionis criminationem defenderunt? Responde primo illorum rationibus & authoritati, antequam tua argumenta tanta cum arrogantia protrudas.*

Quanquam magna tui fiducia alibi sit ut jactes te effecturum ut alii errorem suum agnoscant, & sive argumentis sive testium numero sit pugnandum; vincam argumentis, vincam testimoniis, *in præfatione tamen post impetum illum & vana persuasionis ventum cum animus fermento αὐθαδείας turgidus paulum deferbuisset, modestius loqui incipis, & tibi quidem* non infeliciter calculum posuisse *videris* idemne etiam aliis videbitur valde dubitas. *Vates haudquaquam vanus fuisti in propria causa: nam vel nullis, vel sane paucissimis persuasisti commentum tuum, adeoque non tam veritatis amore quam contradicendi studio ingeniosus videri voluisti. Neque vero ignorasti quæ judicia de hoc tuo conatu futura sint, præsertim cum opinio illa de Hebraici Codicis sinceritate ita omnium animos* occupaverit ut pro impiis habeantur quotquot ab eo vel minimum audent recedere. *Hic igitur communis Christianorum maxima patriæ tuæ, consensus, si mens non læva fuisset, te à proposito absterrere debuisset, ne susciperes opus tanto cum periculo conjunctum, præsertim cum accederent multorum tibi faventium tum monita tum etiam comminationes:*

Sed

Sed tanta apud te non fuit cujusquam auctoritas, nec multorum licet vel monita vel minæ terrebant te: *Nam quod dicis te* nulli rationis & intellectus arbitrium absque ratione concessurum, *id bene quidem habet: sed neque tuam unius rationem & intellectum aliorum rationi temere opponere debebas. Et cum dicas* non defuisse qui fortius istas Præadamitæ antiquitates adseruerint quam alii Mosen defenderint, *eorum ergo, quos tangis, erit, Mosen porro defendere ac tuis quoque objectionibus respondere. Nulla sane tibi causa erat sufficiens, cur me, qui primus prodii, & non te, sed rem ipsam, modeste, absque malitia, odio, obtrectandi libidine, aggressus sum, tam contemtim ac superbè exagitares, ut non tam quid quam à quo dictum fuerit, respexeris. Potuisses errores meos refellere: nihil magnitudini tuæ decessisset si ab opprobriis & dicteriis temperasses. Nunc quia ita tibi visum fuit potius, quam alia via, controversiam hanc tractare molestè non feras, quod me defenderim, & sicubi tibi videar vehementior, causam te dedisse existima.*

P. 14. linea 5. lege totis Ↄ annis. Cætera levia sunt.

GEOR-

GEORGII HORNI

DEFENSIO DISSERTATIONIS

DE VERA

ÆTATE MUNDI,

CONTRA

CASTIGATIONES

ISAACI VOSSII:

Qua

Hebræa Biblia eorumque Authentica & incorrupta veritas contra objectiones, ex LXX. Interp. Samarit. Josepho, Chaldæis, Ægyptiis, Sinensibus, asseruntur.

DEFENSIO PRIMA.

Nullus Solœcismus est dicere initia Mundi ex Principiis Mosis demonstranda.

INitium Castigationis tuæ facis ab immani Solœcismo; quem me commisisse dicis cum scripsi, *initia mundi investigantibus, ex solo Mose ut fidei ita temporis petenda esse prin-*

cipia. Idem enim esse initium & principium. Quanquam non desit quod pro hac dictione allegare possim; tamen quia hæc defensio non Chronologiam sed Grammaticam spectat, nolo nunc operose me ab hoc, uti tu vocas, Solœcismo defendere: id tamen moleste non feres si te civem & socium adsciscam. Quid enim tibi de hoc tuo Solœcismo videtur quem habes pag. 46. *nos libenter ut cætera, ita quoque illa quæ de diluvio diximus, libenter submittere judicio illustrium virorum, Bocharti Dallæi, Amyraldi.* Si repetitio ejusdem vocis est Solœcismus, vide an non Solœcus fueris dum vocem *libenter*, præter necessitatem, bis posuisti? In meis autem verbis nulla repetitio ejusdem vocis. Per *initium* intelligo illud temporis momentum quo mundus cœpit: per *principium verò* rationes quibus illud initium mundi quando cœperit, ex Mose, demonstratur. Potest quis scire mundum habuisse initium, & tamen ignorare unde petenda sint principia demonstrationis, quando & quomodo cœperit. Putavi te aulicum esse Cleonem vel Anaxarchum; sed deprehendo plagosum Orbilium. Nam & verba mea tanquam magister corrigis, ac ita, expuncto *principia,* ab immani Solœcismo, alter scilicet

Her-

Hercules, liberas; denique etiam virgas expedis ac flagrum minaris.

Defensio II.

Lingua Hebræa recte vocatur Authentica & Originalis.

CRassum hoc vitium appellas quod *linguam Hebræam vocavi Authenticam & Originalem.* Putavi hoc mihi in Batavia vitio verti non debere, cum Synodus Nationalis Dordracena ita loquatur Seff. VI. VII. VIII. Et ipsi Ordines in Diplomate suo quo versionem Belgicam sanciunt linguam Hebræam vocant den grondt-text ende spraecke/ daerinne Godt de Heere Almachtigh ghenaedelijck ghelieft heeft sijne Leere ende Godts-dienst door ingeven des Heylighen Geests/ te openbaeren: & den Origineelen text / de oorspronckelijcke Talen.

Defensio II.

Vindicatur argumentum à providentia divina petitum pro integritate textus Hebræi.

NEgas illos qui cordate de hac quæstione scripserunt ita loqui, *depravationem Codicum Hebræorum nec admissam fuisse nec potuisse admitti, sive per fraudem Iudæorum, sive per incuriam librariorum.* Ita autem loquitur Spanhemius Dub. Euangel. Parte I Dub. XXIII. ubi etiam Kaina-

nem tuum expungit. Sed in tua nunc situm erit manu, cordate illum de hac quæstione scripsisse velis, nec ne, præsertim cum Amyraldum Triumvirum quæstioni judicandæ creaveris. Cur autem hoc ita statuant cordati scriptores, rationes, si vis, legere potes compendio apud Chamierum de Canone lib. XII. cap. XI. ubi etiam cap. seq. respondet objectioni tuæ ex Psalmo XXII. 17.

Unicum ferè argumentum pro corruptione textus sacri; tuum, est varietas lectionem. Ego vere nego ex varietate lectionem sequi corruptionem. Falsa est enim illa hypothesis tua, *in omni discrepantia aliquam esse corruptelam.* Discrepantia in literis quibusdam vel vocabulis nullam arguit corruptionem. Sive legas כארי sive כארו sensus unus idemque manet, & nihil veritati Messiæ decedit. *Sicut Leo*, subintellige *perfoderunt, manus, pedes.* Sed de hoc argumento copiose Orthodoxi Theologi contra Pontificios egerunt.

DEFENSIO IV.

Lingua Hebræa & Samaritica non sunt eadem, nec dialecto tantum discrepant & literarum forma.

Miror incogitantiam tuam. Cum Samaritæ ex Perside oriundi fuerint, quomodo lingua

lingua Samaritica potuit eadem esse cum Hebræa? Nunquam enim, credo, statues, Persas Hebraicé locutos. profectos autem ex Perside Samaritas sive Chutæos Josephus tuus lib. IX. cap. XIV. docet. Fefellit te Codex. Hebræus, Samariticis literis scriptus. Sed inde non sequitur linguam Chutæorum sive Samaritarum eandem cum Hebræa fuisse. Sacerdotes enim illi erant Hebræi, ut ex II. Reg. XVII. videre potes.

Defensio V.

De Samaritico Codice.

S*Amariticum Codicem inepte & hic & passim vocas Samariticam versionem. Videris mihi in tenebris micare quandocunque de versione & Codice Samaritarum loqueris. Neutrum enim vidisse te puto.* Sed male. Extat enim uterque in Bibliotheca publica, ubi eum inspexi & porro inspiciam. Recte & Codicem & versionem vocavi, duplex enim est; unus qui non nisi Literarum forma à Codice Hebræo differt: alter qui Paraphrasis est & in plurimis ab Hebræo differt; Quod vel ex Seldeno, qui id dudum monuit, discere potuisses. Versiones vocantur non tantum ex una lingua in aliam, verùm etiam ex una dialecto in aliam, translationes

nes. Samaritæ autem lingua Persica utebantur; Hebræam à Sacerdotibus suis hauserunt.

Defensio VI.

Iosephus an & quantum Hebraicè peritus.

Non dixi *Iosephum nescivisse linguam Hebræam, & ne quidem inspexisse Codicem Hebraicum.* Dixi exiguam eum cognitionem habuisse, & in Hebræo Codice imperitum fuisse, male & incuriosè Historiam sacram ex Hebraicis literis transtulisse. Hæc sunt mea verba ex quibus tu tam magnum inscitiæ & impudentiæ exemplum petis.

Ad loca quibus imperitiam Josephi probavi, quid reponis nisi ineptissimas nugas? Cum tibi objicerem vocem הבל quam πένθος interpretatur; tu regeris corruptum esse textum Hebræum, legendum אבל *ostendere debuerant, uti nunc, ita quoque olim scriptum fuisse in Hebraico exemplari.* Ostende vero tu ita olim non fuisse scriptum. Sed deceptus fuit Josephus affinitate vocum, ut & patres nonnulli quanquam id potius per allusionem & tropologiam ab illis factum, quia luctus optimè Abeli convenit.

Geon גיחון deducis à voce גוח: quod significet ἀνα-

ἀναδιδόναι: ſed probare debebas גיח ſignificare ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς αναδιδόναι. Joſephus enim hanc vim & ſignificationem vocabuli גיחון eſſe vult: γεὼν τε δι' αὐτῆς Αἰγύπτου ῥεῖ. δηλοῖ τε τὸν ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς ἀναδιδόμενον ἡμῖν, ὃν δὴ Νεῖλον Ἕλληνες προσαγορεύουσιν. Igitur nihil hoc ad Joſephi defenſionem facit quod dicis veteres crediſſe Nili fontes in India. An hinc ſequitur; ergo vox גיחון Hebræis ſignificat ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς ἀναδιδόμενον Verſus duos Manilii à nemine intellectos ſcribis. Cum mihi toties inſcitiam exprobres, lætor nunc me ſocios complures tuo judicio nanciſci. Scaliger igitur & Bochardus, Dallæus, Amyraldus, triumviri tui, in eorum quoque ſunt numero qui hos Manilii verſus non intellexerunt. Nam niſi tu credi velles in his duobus verſibus tam profunda latere myſteria, ut nemo, niſi tu, hactenus ea aſſequi potuerit, profecto vel mediocriter doctus eos ſibi capere poſſe videretur. Cæterum quia ſolus tam pretioſam duorum verſiculorum intelligentiam poſſides, & me ab eorum intellectu ſecludis, quod hæc eſca non faciat ad ſtomachum meum, fruere ergo his dapibus ſolus, ac ſtomachum tuum confirma: te in convivio tuo Timonio, quia etiam abigis, non perturbabo.

Paulo

Paulo nunc humanior, (credo postquam stomachum tuum escâ versuum Manilii confirmasti) velle te dicis me eruditiorem reddere, *quamvis id sit testudini alas ad volandum aptare.* Scis tamen aquilam à testudine coram Jove superatam. Fateor si alias alas non habes quas testudini ad volandum aptare possis, tum quidem testudinem illam (quam volare docere velis,) nunquam volaturam. Sunt enim illa quæ de Euphrate tanquam maxima & tibi soli cognita arcana profers, ejus generis, ut nemo inde doctior fiat. Magnum scilicet & te doctore dignum quod mones פרת Chaldaicum פרש Hebreum esse; addis etiam Grammaticam regulam ט in ת mutari. Legisse de pro ἄνθος, ἄνθος vel ὄνθον: Si quis quærat cujus Mss. Codicis authoritate; rejicies nos fortasse ad Bibliothecas Serum tibi soli cognitas.

Tibi vero una est lingua Hebræa & Chaldæa. Josephus dicit Hebræis ea vocabula hanc significationem habere. Tu ea ex lingua Chaldæa explicas. Quam autem inepta sit tua nominis Διγλάθ explicatio Chaldaica, provoco ad judicium omnium illorum qui linguas Orientales callent. Nempe secundum te חד mutatur in Δι, קל in γλάθ, unde ex חדקל fit Διγλάθ, quod perinde magni acu-

minis

minis argumentum eſt, ac illius qui ex Chopino fecit Platonem: muta Cho in Pla, pi in to, & abjice nus, ita Chopinus erit Plato.

DEFENSIO VII.

An Ioſephus ſecutus ſit Chronologiam Hebræam, an LXX. Interpretum.

QUoniam tu Joſepho tantum tribuis, videamus qualem is annorum rationem ſequatur in Antiquitatibus ſuis, & an tuum ac LXX. Interpr. calculum comprobet. Dicit igitur libro XX. cap. IX. Antiquitates ſuas complecti *totum illud tempus quod inter primam hominis creationem & annum Neronis duodecimum effluxit.* Deinde addit *ſe Pontificum quoque ſucceſſiones recenſuiſſe continuatas per annos bis mille.* Et in præfatione operis dicit *ſe quinque millium annorum hiſtoriam ex ſacris literis tradidiſſe.* Ex ſolo Pontificum catalogo quem ab Aarone ad excidium templi annos bis mille conficere tradit, manifeſtum eſt Joſephi totam Chronologiam, à Creatione ad excidium Templi ultimum complecti annos non amplius quinque mille: adeoque falſam eſſe opinionem tuam quum cap. VIII. defendis illos quinque mille annos deſinere cum hiſtoria ſacrarum ſcripturarum. Per

sacros libros intelligi à Josepho non modo scripta Mosis & Prophetarum, verum insuper libros Ecclesiasticos, Genealogias & si quæ alia ad statum Ecclesiæ Judaicæ spectabant, id in præfatione librorum contra Apionem clarissime innuit, ubi dicit se libros Antiquitatum quinque millium annorum historiam continentes conscripsisse. Loquitur sane ibi de viginti Antiquitatum libris ut in fine operis illius ipse se explicat. Et clarius libro 1. contra Apionem, quem locum integrum afferre operæ pretium est: Infiniti libri non sunt apud nos discordantes & sibimet repugantes, sed solummodo duo & viginti, habentes temporis totius conscriptionem quorum justè fides admittitur. Horum quinque sunt Mosis, qui nativitates continent & humani Generis traditionem habent usque ad ejus mortem. Hoc tempus de tribus millibus annis paululum minus est. A morte Mosis usque ad Artaxerxem Persarum Regem, qui fuit post Xerxem, Prophetæ suorum temporum res gestas conscripserunt in tredecim libris. Ab Artaxerxe vero usque ad nostrum tempus singula quidem sunt conscripta, non tamen priori simili fide sunt habita eo quod non fuerit certa successio Prophetarum. Secundum Iosephi

Chrono-

Chronologiam à Creatione ad obitum Mosis effluxere anni fere ter mille: à tempore Mosis & Aaronis ad destructionem templi sub Tito anni bis mille. Ita habemus annos illos quinque mille rerum Judaicarum à Creatione ad excidium templi. Hæc omnia ex ipso Josepho sunt clarissima; & tamen audes tricari ac quinque mille annos ad solam Historiam Biblicam restringere. Josephus dicit à Creatione Mosen effluxisse annos fere 3000: tu Josepho affingis annos 3974. atque ita mille annos Josepho, utcumque is disertim tibi contradicat non uno loco, assuis.

Cum igitur tam clara sit mens Josephi de historia quinque millium annorum, corruunt omnia illa quæ de ejus numeris inter se & cum aliis pugnantibus affers. Cur non dicis; corruptos esse illos numeros, cum tam promte codices Hebræos vitii accuses? Quis dubitet quin ex versione LXX. Interpretum Græci librarii exemplaria Josephi (siquidem, ut tu vis, Hebæos codices secutus est) hinc inde correxerint? Et quis omnium errorum rationem reddat?

DEFENSIO VIII.

Literas Samaritarum aliquot non multum discrepare ab Hebrais.

QUandoquidem miræ tibi nugæ videntur quod dixi literas Samaritarum non adeo ab Hebræis differre ut *si reviviſceret Moſes, ne unum quidem apicem in Judeorũ libris aſſequeretur*: inſpice ergo in Kircherio comparationem utriuſq; alphabeti ut ipſe judices annon Moſes ſaltem aliquot apices in Judæorum libris ſi reviviſceret aſſecuturus ſit.

DEFENSIO IX.

Qua ætate Abel à Caino occiſus.

NOn eſt, bone vir, quod gratias tam magnas agas pro Abelis cæde à Caino facta anno ætatis ſuæ conteſimo Nihil minus inde quam trecentos annos conficies ut tibi ipſi plaudis. Ex pluribus conditionibus quas tibi propoſui, unam tantum eligere poteras & debebas. Tu vero tres diverſiſſimas eligis & inter ſe connectis. Hac ratione non tibi difficile erit Chronologiam annis 1440. augere. Ut autem lector videat quam vana ſit gloriatio tua, ſententiam meam retexam. Primum poſtulatum eſt, cædem Abelis factam ante annum

annum vitæ Adami c x x x. Quia Seth, in locum Abelis suffectus anno cxxx. Secundum; Cainum & Abelem natos ante annum Adami centesimum. Quia vero præcise non constat quo anno uterque natus sit; hinc liberum relinquo, sive anno 10. vel 20. vel 30. vel 50. aut etiam circa centesimum, nati statuantur Si anno 10: tum Cain potuit esse annorum cxx. si anno 20: annorum cx. si anno 30. annorum 100. si anno 50. annorum 80. si anno 90. vel 100. annorum xl. vel xxx. cum occideret Abelem: quæ sane ætas sufficit ad cædem patrandam. Nisi forte sicut pubertatem ad ducentesimum annum restringis, ita neminem quoque, nisi eà ætate, occidi potuisse statuas.

Defensio XXXVI.

An versio LXX. Ptolemaica saltem librorum Mosis hodie extet?

De hac quæstione contra Usserium disputas & nihil tamen probas. Quia igitur mera verba sunt & ipse nos ad singularem de hac materia librum quem editurus sis rejicis, tamdiu expectabimns donec prodeat audax ille, ut ipse vocas, ac felicissimus liber.

DEFENSIO IX.

Kainan expungendus ex V. Test.

FRustra authoritatem Berosi Kainanem tuum ignorantis eludere conaris. Initium enim numerandi sumendum est à Semo. *Atqui Semus toto ante diluvium seculo natus est.* Quid tum? vixit tamen etiam totis anns post diluvium, & liberos demum post, nullos vero ante diluvium genuit. Tu vero Semum plane ex genealogia Mosaico eradis ut tuo Kainani locum facias. Semi enim nullam neque ante neque post diluvium rationem habes. Non ante diluvium; quia statuis ab Adamo ad Noachum tantum novem generationes esse. Atque hic admodum infeliciter & Origenem explicas & Usserio respondes. Verum est quod Origenes dixit Abrahamum à primo homine vicesimum natum esse & decem γενεὰς esse ab Adamo ad Noam, decem à Noa ad Abraham. Ponam hic bona cum gratia tua ipsum laterculum, ne multis verbis sit opus.

Adam

Adam	genuit	Seth	generatio	I.
Seth		Enos		II.
Enos		Kenan		III.
Kenen		Mahalaleel		IV.
Mahalaleel		Jared		V.
Jared		Enoch		VI.
Enoch		Methuſalah		VII.
Methuſalah		Lamech		VIII.
Lamech		Noach		IX.
Noach		Sem,		
Poſt diluvium				X.
Sem	genuit	Arphaxad		XI.
Arphaxad		Sala		XII.
Sala		Eber		XIII.
Eber		Peleg		XIV.
Peleg		Regu		XV.
Regu		Serug		XVI.
Serug		Nachor		XVII.
Nachor		Tarah		XVIII.
Tarah		Abraham		XIX.
Abraham		Iſaac.		XX.

Vides ab Adamo ad Abrahamum (incluſive ut loquuntur) viginti eſſe generationes, adeoque

que quod mihi, imputas, *profecto nescis quid sit γενεά*, id in te retorqueri posse. Tu enim propter solam ignorantiam quid sit γενεά, in tam turpes errores lapsus es. Nam si ita ætates numerasses, nullum Kainani tuo locum superesse deprehendisses.. *Quomodo ab Adamo ad Noachum decem aliquis efficiat ætates?* Respondeo hoc facillimum fore si Noachus quoque illis ætatibus annumeretur, sive ut Scholastici loquuntur, *inclusive, non exclusive.* Ipse enim hoc agnoscis dum dicis: *decima γενεά est spatium quod à natali anno Noachi usque ad natalem Sem, Cham & Japhet expiravit.* Sola igitur particula *usque* te decepit & in tantos errores ac labyrinthos præcipitavit, cum ignorares eam etiam inclusive sumi, non tantum exclusive, in his & similibus locutionibus, *ab Adamo ad Noachum à Noacho ad Abrahamum.* Ubi sensus est clarus & numeri optime sibi constant, si Noachum & Abrahamum, cum sua ætate singulos, includas, non vero, quod tu facis, excludas.

Certe in hac Kainanica defensione misere sudas, cespitas & verborum tuorum oblivisceris. Dicis *me ne unum quidem idoneum testem contra Kainanem posse exhibere.* Mox cum producerem Codicem Bezæ vetustissimum, dicis *Unum tantum*

se

ſe. Dicis *Eccleſiam calculum Africani & Euſebii approbaſſe & ſecutam*, *adeoque te mirari non plura reperiri exemplaria in quibus Cainanis nomen expunctum ſit*; & mox tui oblitus dicis, *Tune bone vir ad conſenſum veteris Eccleſiæ provocas?* Quidni provocarem, cum tu ipſe fatearis *Eccleſiam approbaſſe calculum Africani & Euſebii.*

Speraveram te acquieturum in judicio accuratiſſimo patris tui; ſed tu *nequaquam dubitas ſi per fata etiamnum ipſi ſuperſtiti eſſe liceret quin rationibus tuis acquieſceret.* Mire confidentem te eſſe oportet, qui non modo parentem tuum, virum infinitæ lectionis, diffuſiſſimæ eruditionis, judicii acerrimi, ſperas erroris convictum ſi viveret, verum etiam Martinium Ieſuitam & rerum Sinenſium peritiſſimum *non dubitas quin mutet ſententiam ſi aliquando videat ea quæ ad Melam notaſti.* Credo te eandem opinionem de Salmaſio fovere, quod ſi reviviſceret, tua, quæ ad Melam contra ipſum ſcripſiſti, approbaturum. Cum me Prophetam appelles qui ſemel tantum alquid de futuris & id quidem verbis Scripturæ dixi: vide annon tu vates & Archipropheta appellari debeas, qui de futuris contingentibus tam confidenter pronuncias.

C Fruſtra

Frustra tecum de Cainane disputatur quia in hac causa rejicis omnia novi & veteris Testamenti exemplaria. Ita enim inquis: *Jam vero licet in innumeris & novi & veteris Testamenti exemplaribus nomen istius Cainani abesset, quod tamen falsum, nullum tamen exinde peti posset argumentum. Ratio enim manifesta esset ex eo quod Ecclesia calculum Africani & Eusebii approbarit.* Quid ergo tecum ultra contendimus?

Non id nunc quæritur quando ille Kainan primum emerserit, & an Origeni, Theophilo Antiocheno, Africano, Eusebio, Hieronymo ac aliis cognitus fuerit, sed an ab illis tanquam legitimus approbatus, an vero tanquam suppositititius, rejectus fuerit? Posterius ne ipse quidem negas. Fateris enim eum ab Origene obelo notatum, idque ex Procopio Gazæo ostendis; à tota Ecclesia rejectum fuisse. Cur igitur tu eum defendis quem tot sanctissimi viri & ipsa Ecclesia antiqua rejecit? sit igitur ita: fuerit Kainan etiam ante Christum agnitus; nunquam tamen efficies ut ille in Hebræo codice aut ipsa LXX. versione Ptolemaica fuisse existimetur. Quis ergo, inquies, eum primus in Codices Sacros intrusit, aut quid inde compendii speravit ad Ecclesiam redundaturum?

Hic

Hic vero mihi tecum aqua hæret, & libenter erudiri vellem, si tamen huic testudini alæ aptari possint ab ullo Dædalo, ad volandum. Cum tam antiquus sit ille Cainan & in Græcis codicibus reperiatur, in Hebræis autem omnibus desideretur, quis ille fuit tam audax qui eum excogitavit? Dicam nunc quid mihi in mentem venerit, non quod sperem te assensum præditurum, sed ut si quid rectius novisti impertias. Igitur puto superstitiosum quendam, cum decem generationes ab Adamo ad Noachum deprehenderet, à Noacho autem ad Abrahamum (exclusive) tantum novem, hunc Cainanem inani denarii amore addidisse. Sed quia hæc mera conjectura; hinc verbum amplius non addo. Quicquid sit & quæcunque tandem origo hujus Cainanis, id nulla ratione admitti potest, Judæos Codices Hebræos corrupisse tum in numeris annorum, tum expuncto Cainane. Cur autem hoc fieri non potuerit, paucis exponam, ac tum finem faciam. Si Judæi Codices Hebræos corruperunt, id fecerunt vel ante natum Christum, vel post. Si ante, hoc non tacuisset Christus & Apostoli, qui alia eorum flagitia commemorant & acriter taxant: quin potius eorum studium laudant in Scriptura custo-

dienda. Si post, hoc vel fecerunt Judæi Christiani, vel non-Christiani. De Judæis ad Christum conversis id minime probabile; quia hoc Judæi non-Christiani non tacuissent; & prætera dupli-cia hodie extarent exemplaria, quædam à Christianis corrupta, alia à Iudæis conservata. Remanet igitur ut hæc accusatio Iudæis obstinatis intendatur. Sed neque hi potuerunt exemplaria Hebræa corrumpere; ob easdem rationes; non enim hoc passi fuissent illi Iudæi qui ad Ecclesiam Christianam accesserant; & itidem aliqua tamen, non omnia exemplaria corrupta essent. Ita igitur statuendum esset, vel Iudæos à Christiana fide alienos omnia in universum Hebraica exemplaria in sua potestate habuisse, nulla autem plane penes illos fuisse qui ingenti meltitudine fidem Christianam susceperunt; vel impossibile fuisse exemplaria Hebraica corrumpere. Nam videmus id evenisse Græcis exemplaribus, quæ inter se multùm variant, neque omnia Cainanem illum agnoscunt, qui nimirum universa exemplaria non potuerunt ab illo Cainanis architecto corrumpi, sed aliqua tantum.

Jam quoque Cainanem Interpretes, quod tamen minimè factum est, expunxissent. Præf. ad Slingeland.

Puto

Puto te respicere versionē Belgicam in qua apud Lucam Cainan ab interpretibus non sit expunctus. Si glossam inspexisses, facile videre potuisses illi Cainani ab interpretibus obeluin fuisse additum. Sic enim loquuntur: Dese naem wordt niet ghevonden in 't gheslacht-register by Mosem verhaelt Gen. 10. vers 24. & 11. 12. noch oock 1. Chron. 1. vers 24. Maer wordt ghevonden in de Griecksche oversettinghe / die onder de Jooden doen tertijdt ghebruyckelijck was; waerom sommighe meynen dat die oock wel over een komt met 't gheene Moses verhaelt / om dat Arphaxad Sala soude hebben ghegenereert door zijnen Zoon Cainan: ghelijck men dierghelijcke oock kan sien 1. Chron. 2. vers 20. en 4. 1. Duo dicunt: primum est, hunc Cainanem desiderari in Vet. Testamento, reperiri autem in versione Græca LXX. Interp. quæ tum Judæis familiariter recepta fuerit. Deinde quosdam putare Lucam cum Mosé ita conciliari posse, si Arphaxad Salam genuisse dicatur ut avus nepotem, mediate scilicet per filium Cainanem, Cainan vero eundem ut patrem proxime generasse. Priori modo Mosen, posteriori Lucam intelligendum. Interpretes igitur Cainanem hunc prout in exemplaribus Græcis reperitur, retinuerunt quidem, non vero expunxerunt, ut Beza confisus codice suo antiquissimo: Sed ne quis exinde, corruptos esse Codices Vet.

V. Testa. in quibus desideratur argueret, monuerunt Lucam secutum LXX. Interpretes eo quod illa tum temporis Judæis Hellenistis recepta & familiaris esset. Deinde addunt sententiam eorum qui Mosem & Lucam conciliare conantur: eam sententiam dicunt esse particularem quorundam, non omnium Theologorum. Maxima autem inter Interpretum Belgarum & tuam sententiam differentia est. Illi enim non ita concludunt: Kainah est apud Lucam & in LXX. versione: erga textus Hebræus est corruptus: sed Mosen & Lucam conciliare conantur probabili conjectura: quod tu si fecisses & non ubique tantas corruptiones & V. & N. Testam. impingeres ex varietate lectionum; nemo te reprehendisset: sunt enim multi orthodoxi Theologi qui Cainanem apud Lucam retinendum censent: sed nemo illorum inde consequi corruptionem Cod. Hebræorum dicet: vel Cainanem ex Luca Mosis Genealogiæ inserciendum: vel in Hebraicis codicibus tota sex seculo deesse.

Defensio XII.

Berosus Cainanem ignoravit.

Quam turpiter in Berosi authoritate eludenda laberis? Decimus illi à Noacho Abrahamus est. Verba sunt: μετὰ δὲ τὸν κατακλυσμὸν, δεκάτῃ γενεᾷ παρὰ χαλδαίοις τὶς ἦν δίκαιος ἀνὴρ μέγας καὶ τὰ οὐράνια ἔμπειρος. Quid tu contra tam clarum locum? *Si dixisset Berosus Abrahamum decimum esse à Noacho, jam locum habuisset argumentatio isthac.* Vide quam oblivosus sis verborum tuorum. In dissertatione pag. xxi. dicis: *Berosus Abrahamum decimum esse scribit eorum qui post diluvium nati sunt.* At in castigat. præfationis negas te hoc dixisse & addis; *Sed vero ille Abrahamum decima post diluvium ætate collocat.* Opponis inter se quæ sunt conjungenda. Utrumque verum est & Abrahamum decimum fuisse à Noacho, & decimum eorum qui post diluvium nati sunt, & decima post diluvium ætate vixisse. Vox enim γενεᾷ hæc omnia significat. Sed tu callide Cainanem denario numero intrudis, dum Abrahamum decima ætate collocas; ætatem autem à Noacho ad Abrahamum, statuis annorum fere cxxx.: unde à diluvio ad natalem Abrahami effluxisse autumas annos 1132.

De

DEFENSIO XIII.

Versio LXX. non fuit divinitus inspirata.

DIcis: *versionem* LXX. *divinitus inspiratam fuisse. jam ab Apostolicis temporibus tota credidit Ecclesia.* Valde promtus es ad Pontificiorum sententias pro tua versione arripiendas. Primo falsum est eam versionem divinitus inspiratam fuisse, si intelligas extraordinariam, Propheticam & infallibilem inspirationem. Ita enim illi LXXII. Prophetæ fuissent, id quod Iosepho adversatur qui negat ab Artaxerxe fuisse τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν. Neque vero hoc *jam ab Apostolicis temporibus tota credidit Ecclesia.* Plurimi quidem Patres maximi ejus fuere admiratores, sed illi Hebrææ linguæ imperititi. Origenes autem & Hieronymus non sunt veriti illam LXX. versionem ex Hebræo textu corrigere, id quod ipse non diffiteris. An vero unquam hoc facere ausi fuissent, si divinitus inspirata, adeoque ejusdem authoritatis cum textu Hebræo fuisset? neque sequitur; *editio* LXX. *in usu fuit Apostolis*: ergo est authentica & divinitus inspirata. Paulus etiam Aratum & Epimenidem citat. Usi LXX. Apostoli quia Græce ad Græcos scribebant. Usi aliquando, non ubique & semper;

per, ſæpe Hebraicam veritatem præferunt; ut Hieronymus lib. 2. citra Rufinum obſervavit.

Defensio XIV.

L X X. Interpr. verſionem in plurimis aberrare à vero ſenſu vocabulorum Hebræi Codicis.

Si illi interpretes divinitus inſpirati & ſuæ linguæ peritiſſimi, qui factum quod vim vocabulorum Hebræorum tam male & impropriè reddiderunt? e.g. ברא reddunt ποιεῖν. At proprie eſt κτίζειν, & ita in N. Teſt. redditur ac ab ipſo Ioſepho רקיע ipſis στερέωμα, cum tamen cœli non ſint ſolidi ſed fluidi: בעבורך ἐν τοῖς ἔργοις σου, cum tamen עבור nunquam pro opere ſed עבורך ſumatur: התהלך εὐηρέστησε ינחמנו διαναπαύσει ἡμᾶς confundentes נוח & נחם. ירון נחם κατατεμένη ינחם ἐνεθυμήθη. Hæc pauca ex ſola Geneſi: quantum in cæteris libris Moſis, quantum in Pſalmis errorum? Quot loca omiſſa? quot addita? Et audes verſionem tam vitioſam vocare divinitus inſpiratam? profectò tibi putas rem eſſe cum peponibus.

DEFENSIO XV.

Ex varietate Lectionum malè concluditur Corruptio Codicum Vet. & Nov. Testam. Hebraeorum & Graecorum.

Miror ἀκρισίαν tuam, quod toties ex varietate lectionum quæ ſunt in V. & N. Teſtam. corruptionem textus Hebræi & Græci probare conaris. Hoc enim argumento Pontificii utuntur contra Evangelicos, quibus etiam copioſiſſime ab Orthodoxis Theologis reſponſum. Ex varietate lectionum non ſequitur corruptio textus: Variæ etiam lectiones non ſunt ejuſdem generis. Sed quia dicis melius eruditis Theologis & Paſtoribus Eccleſiarum hanc curam relinqui, remitto te ad Theologos & Paſtores Eccleſiarum Batavicarum, à quibus reſponſum petere potes, vel compendio ad Chamierum de Canone lib. 12. cap. 2. ad finem libri. Interim hoc tibi dictum ſit, ne impoſterum ita argumenteris: *dantur in V. & N. Teſt. variæ lectiones: Ergo textus Hebræus & Græcus eſt corruptus.* Niſi tamen in caſtra Pontificiorum tranſire velis: illi enim ita argumentantur.

DEFENSIO XVI.

Etiamsi probari posset versionem Pentateuchi Græcam quæ hodie etiamnum extat illam ipsam esse genuinam LXX. Interpr. versionem quæ jussu Ptolemai facta sit: non tamen exinde sequitur codices Hebræos tum in supputatione annorum, tum innumeris aliis in locis corruptos esse.

Frustra, te, si Pentateuchi Græca quæ hodie extat, versio eadem sit cum primæva Ptolemaica, inde effecturum speras: Codices ergo Hebræos esse corruptos. Quæ enim hæc est consequentia: Versio Pentateuchi Græca hodierna eadem est cum Ptolemaica: Ergo Codices Mosis sunt corrupti in annis & innumeris locis aliis. Sed tibi probandum esset: primo Pentateuchum Ptolemaicum LXX. Interpr. & olim in annis fuisse incorruptum & hodie esse. Hoc enim nisi probaveris, quid ex corrupto Codice, etiam antiquissimo efficies? Dices: an ergo LXX. Interpretes corruperunt annos? Siquidem ostendere possis ita in eorum autographo numeros fuisse positos ut hodieque extant, audeo absque ulla cunctatione affirmare & certo statuere, LXX. Interpretes annos Mosis studio & data opera corrupisse. Si quæras; cui bono? respondeo in gratiam Ægyptiorum, ut ad eorum Chronologiam Judæi eo propius

pius accederent, & ut eorum Regibus, quod tu etiam facis, ſpatium ſufficiens relinquerent. Si dicas fuiſſe viros ſanctiſſimos, & provoces ad ipſum modum tranſlationis prout deſcribitur à Joſepho ac aliis; regero; de Sanctitate eorum nihil conſtare: Hiſtoriam autem tranſlationis niti fide ſolius Ariſteæ, cui quantum hac in re tribuendum ſit, videatur Scaliger ad A. MDCCXXXIV. & D. Heinſ: Ariſtarch. cap. X. Summa autem omnium huc redit, Incertam eſſe illam Ariſteæ narrationem, cujus ſummam Joſephus exhibet, de verſione Codicum Noſis per LXXII. Interpretes facta: & in quamplurimis manifeſtè fabuloſam. Longe probabilius Helleniſtas Alexandrinos ſub Ptolemæorum imperio eam verſionem in uſus ſuos adornaſſe: & ut ei majorem authoritatem conciliarent, figmentum illud de LXXII. Interpretibus Ptolemaicis per quendam Ariſteam evulgaſſe, quod avide arreptum ab aliis Judæis Helleniſtis, Ioſepho aliiſque impoſuerit. Quacunque autem ratione errores illi annorum irrepſerint, nihil hoc pro corruptione Codicum Moſis facit.

De-

DEFENSIO XVII.

Iohannes de Temporibus non est fabulosus.

Quicquid tibi non favet id fabulosum, & quæ cum tua opinione conveniunt, ut sint maximè fabulosa, qualia illa quæ de Assyriorum, Ægyptiorum, Sinensium antiquissimis Regibus referuntur, ea verissima facis. Johannem de Temporibus, quem alii Johannem à Stampis nominant, scriptores rerum Germanicarum & Francicarum, pertinaci consensu à temporibus Caroli Magni, cujus armiger fuit, ad Lotharium II. per annos 361. vixisse tradunt, obiisse autem A. 1137. Ita Rob. Ganguinus lib. 6. Hist. Franc. Fascicul. temporum & alii plurimi. Discrepantia non est in homine, sed in annis: quidam enim ei annos tantum centum sexaginta tribuunt. Miror autem te qui tam multa credis, *aliquem unquam decimum quintum vel etiam decimum vidisse nepotem*, credere non posse. Nam si dantur longævi, dantur etiam qui decimum vel decimum quintum nepotem videre possint. Tales fuerunt Noach & Semes, ut ex Mose patet, quanquam id tibi absurdum videatur, & hoc infelicis judicii voces si quis contigisse credat; verum tamen est ὦ γαθὲ, & verum, etiam te retinente, manebit.

DEFENSIO XVIII.

Ectenum, Lelegum aliarumque gentium regna asseruntur.

Miror te tantum antiquitatis promum condum regna Ectenum & Lelegum inter nugas referre, cum tamen Dynastiis Ægyptiorum & Serum antiquissimis ac longe tempora Lelegum & Ectenum excedentibus fidem haberi velis. Ut autem intelligas nullas me nugas protulisse, cum dixi ante Abrahamum regnasse in Græcia Ectenas & Leleges, audi Pausanium in Bœticis: τὴν δὲ τὴν Θηβαΐδα οἰκῆσαι πρώτην λέγουσιν Ἔκτηνας, βασιλέα δὲ εἶναι τῶν Ἐκτηνῶν ἄνδρα αὐτόχθονα Ὤγυγον. De Lelegibus in Laconicis Λέλεξ αὐτόχθων ὢν ἐβασίλευσε πρῶτος ἐν τῇ γῇ ταύτῃ καὶ ἀπὸ τούτου Λέλεγες ὧν ἦρχεν ὠνομάσθησαν. Eorundem in Atticis & Messeniis meminit. Nam si credendum Græcis recensentibus antiquissimos illos Chaldæorum & Assyriorum Reges; si Sinensibus & Ægyptiis in sua Historia, quidni eandem fidem Græci mereantur? Quod si dicas hæc quæ Græci tradunt de suis antiquissimis regibus, esse fabulosa, cur fabulosis accenseri non pateris illa antiquissima Serum & Ægyptiorum, quæ ipsum diluvium superant?

Defensio XIX.

Virum facit ætas, non conjugium aut ipse generationis actus.

Profecto nescire mihi videris quid vir sit. Doce me ergo tam gravem. Hactenus enim credidime virum esse, secundum illud:

Matura virum te fecerit ætas.

Tu vero dicis: *non ætas aut conjugium facit virum, sed ipse generationis actus.* Ego vero hoc nego: Sufficit potentia generandi. Tertullianus de virginibus velandis inquit: *Tempus etiam Ethnici observant, ut ex lege naturæ jura sua ætatibus reddant, pubertatem annis, non sponsalibus aut nuptiis decernentes.* Sed tu fortasse respicis ad consuetudinem Romanam, ubi cum antehac Pontifices in sella pertusa explorassent an viri essent, postea id tanquam superfluum omiserunt, quia antequam ad Pontificatum perveniant, quisque eorum,

Se probat esse virum.

Id est non tantum ætate, sed ipso insuper generationis actu se viros strenuos ostendunt.

DEFENSIO XX.

Alia exempla imperitiæ Iosephi in lingua Hebræa.

Explicaturus nomen שמשון inquit lib. v. cap. x. τὸ παιδίον σαμψῶνα καλοῦσι. ἰσχυρὸν δ' ἀποσημαίνει τὸ ὄνομα. Simsonis nomen robustum significare dicit, quo nil ineptius, nil falsius est. Deducitur enim à שמש quod & Hebræis & Chaldæis Solem significat. Non felicior est in voce נעמי & מרה, quarum illam κατ' ἑβραίων γλῶσσαν εὐτυχίαν, hanc ὀδύνην significare dicit: cum נעמי sit pulchra, amœna, מרה vero amara μάρ γὰρ ἡ πικρία καλεῖται inquit ipse alibi lib. 3. cap. 1. In explicatione nominum filiorum Jacobi quanta Hebræi sermonis apud Josephum imperitia? ראובן vocat ῥουβήλον idque explicat ἔλεον τοῦ θεοῦ quasi esset רחמאל Νεφθαλεὶμ, εὐμηχάνητος, cum sit luctator. Ζαβουλὼν ἠνοχυρασμένον εὐνοία, quod est habitator. In tam paucis vocabulis, quot errores? Et tibi ego ridiculus qui Josephum exiguam linguæ Hebrææ peritiam habuisse dixi? sed & hoc quam stupidum quod vocem Benoni cum Benjamin confundens, hanc significare tradit ὀδύνην.

DE-

DEFENSIO XXI.

Noachum varii populi pro conditore & primo Rege habuerunt.

Quia dixeram Noachum ab Italis Saturnum, à Sinensibus Vitey, à Græcis Ogygen, Deucalionem, Dardanum appellatum, tu ex Noacho facis Lycanthropum & merum spectrum, si tam diversis temporibus & locis se videndum præbuerit. Ubi calumniam addis. Non dixi Noachum vel in Italia vel in Sina vel Græciâ se videndum præbuisse: sed plurimos populos ejus tanquam communis parentis memoriam conservasse & primum Regem suum vocasse. Poteras hoc vel ex parente tuo discere, vel ex Bochardo qui aureum seculum ab A. M. 1657. ad 1757. & nativitatem Pelegi argenteum ab A. 1757. ad 1857. quo Nimrod finitimis bella inferre cœperit, æreum ab A. 1857 ad 1957. fluxisse statuit; ac Noachum Saturnum fuisse, ejus tres filios Jovem, Plutonem, Neptunum, multis probat. Quod vero nusquam regnarit Noachus, unde scis? regnavit enim utique ut Patriarcha in familia sua usque ad dispersionem gentium. Authoritatem suam nepotum dissidiis an interposuerit necne, igno-

rare, non negare possumus, Rebelles illi & inobedientes patri erant, ut Cainus Adamo; & de Chamo res clara ex Mose. *Mirum ubi delituerit Sem.* Ubi nisi in propria pelle? Nosti plures esse qui Melchisedecum fuisse velint, quorum sententiam suis authoribus relinquo. Sethi & Semi memoriam Ægyptios conservasse ex Plutarchi libro de Iside Bochartus ostendit.

DEFENSIO XXII.

Usserius vindicatur à criminatione.

Vehementer te vexat quod Usserius tantam stragem in Regibus tuis à Nino ad Sardanapalum edidit, eorumqoe tempora ad annos 496. contraxit, nomina vero omnino prætermisit. Atque hic prolixe tum in caput meum, quod sympathiam cum ejusmodi nugis habeat, jocaris, tum de scopo Usserii, quasi ei cum Annales suos scriberet, à consiliis fuisses, graviter differis. Is igitur *ut Judæis hodiernis consuleret, talem instituit calculum.* Quid dicis? Tune audes Christianos qui codicem Hebræum sequuntur, *Judæos hodiernos* appellare? Quid Usserio cum Judæis hodiernis, qui parum curant illum Catalogum Regum Assyriorum & plane ignorant? An Usserius in gratiam Judæo-

rum adeo corrumpere ausus fuit Annales gentilium? Itaque revoca hoc tuum opprobrium quo Christianos afficis, neque eos imposterum Judæos hodiernos appella. Possum perferre ut me oviculam, stultum, stolidum vel quomodocunque appelles: Judæus appellari nolo. Adeone quis æquo animo esse possit cui hoc factum tuum non displiceat?

DEFENSIO XXIII.

Cathaya eadem est cum Sina.

Desine vero imposterum reprehendere eos qui Cathayos & Seras tuos unum eundemque populum & imperium statuunt. Prodis enim hic turpiter ignorantiam tuam. Tune ad Persas ut provoces qui Persicam linguam & authores non intelligis? Crede ergo illis qui in Sina diutissime fuerunt & ex ipsis Persis ac Saracenis intellexerunt, non aliam esse Cataiam quam Sinam borealem, non aliam Cambalu quam Peking, non aliam linguam & Epocham Catajorum quam Sinensium. Si plura desideras lege quæ Martinio addidit Jac. Golius.

DEFENSIO XXIV.

Aſtronomia à Chaldæis ante Abrahamum inventa & exercita.

M*axime abſurdum fuerit exiſtimare, viguiſſe jam tum aſtrorum ſcientiam,* id eſt ut Uſſerius ſtatuit anno 115 poſt diluvium. Et cur vero pulchelle? *Quia Aſtrologiam primi exercuiſſe & aliis tradidiſſe dicuntur Abrahamus & pater ejus Thara. Beroſus enim Abrahamum vocat* τὰ οὐράνια ἔμπειρον. Itáne qui peritus eſt cœleſtium, eſt primus inventor Aſtrologiæ? Si peritus, didiciſſe potuit à Chaldæis. Eupolemus nulla authoritate eum primum inventorem ſtatuit Aſtrologiæ. Philo cauſæ & genti ſuæ favet. Non hoc prætermiſiſſet Moſes. Sicut tu Nimrodum, ita ego Abrahamum, nihil minus quam aſtra venatum exiſtimo. Quin ex Moſe contrarium patet; Gen. cap. xv. ubi Abrahamus ſtellas numerare jubetur, tanquam rem ſibi incognitam. Si Aſtrologus, facile hoc ipſi fuiſſet, quia Chaldæi ſtellas ad certos numeros & aſteriſmos redegerant: necdum inventa erant teleſcopia quibus via lactea & aliæ ſtellæ detegerentur. Aſtronomia jam ante diluvium nota, à Chamo tradita fuit Chuſo, Nimrodo & Chaldæis, diuque ante Abra-

hamum

hamum exercita, ut obſervationes annorum 1903. oſtendunt. Hæc vera ſunt, & tu tamen novitatis ſtudio convellere tuis abſurdis numeris audes.

Defensio XXV.

Bochartus nova ex LXX. Chronologiæ adverſatur.

Bocharti ſcripta ſi intelligeres, multo plus ſaperes. Te vero ſapientem, qui ſolus ſcilicet ſcripta Bocharti intelligis, & ex illis Arithmeticam tuam ac novam Chronologiam hauſiſti. Explica igitur mihi locum hunc Bocharti qui extat lib. 1. Geogr. Sacræ cap. x. *Tempus quo Turris condita & homines diſperſi fuere, ſatis aperte deſignat Moſes, cum dicit Hebero natos eſſe duos filios, quorum uni nomen Phaleg, eò quod in diebus ejus diviſa eſt Terra. Gen. 10. 25. Quod idem eſt ac ſi diceret Terram fuiſſe diviſam quo tempore Phalegus natus eſt. Naſcenti enim à Patre nomen inditum. Phalegus autem natus eſt poſt diluvium ANNO CENTESIMO PRIMO ut conſtat ex Gen. 11. 10. uſque ad verſ. 16. Itaque eo ipſo anno diſturbatum eſt opus fabricatorum Babel, & hominibus diſperſis Terra diviſa. Seculum quod interceſſit ideo aureum Poëtæ vocant, ut jam ante notavimus, quia Terra nondum diviſa, omnia in commune poſſidebantur. Et Noë quem Saturnum indigitant, homini-*

bus non imperabat ut Rex subditis, sed tanquam parent filiis, eos non tam metu quam amore coërcens & paterni nominis reverentia. Hunc ergo triumviri tui Bocharti locum, quia me intelligere scripta ejus negas, ut explices, rogo. Non enim, qui meus stupor est, quem toties exprobras, capere possum, quomodo turris Babylonica jam anno post diluvium centesimo condi & homines dispergi potuerint, cum secundum accuratissimam chronologiam tuam, Arphaxad demum anno 135. post diluvium Cainanem tuum genuerit, & Phalegus non nisi anno 53. natus sit. Sed tu fortasse Bochartum jam in sententiam tuam pertraxisti. Ea enim scriptorum tuorum est felicitas & vis admirabilis, ut non modo mortuos, verum etiam quam longissime in Seras sepositos statim immutent ac tibi assensum præbere cogant. Credo te etiam non dubitare quin Buxtorfius, Hottingerus & alii visis quæ de Massoretico codice, literis & lingua Samaritica, Hebræa, LXX Interpr. scripsisti, sententiam mutaturi sint, id quod dies docebit. De Arithmeticis autem valde dubito, quia differentia inter 350 & 23255 nimia est: deinde hoc detrimentosum esset ærario, si quæstores pro 23255 scriberent 350. tuam secuti Arithmeticam.

DEFENSIO XXVI.

E ſex hominibus ſpatio annorum centum non omnino 350. *naſci, ineptiſſimi Arithmetici calculus eſt, cum naſcantur* 23255.

Quantus Arithmeticus ſis, ipſe prodis, dum me quod ſemper infeliciter facis, corrigere vis. Sic numeros diſponere debueras: *Ex* 72 *hominibus ſpatio* 215 *annorum nati ſunt viri* 600000, *quæritur quot viri hac ratione naſcantur è ſex hominibus ſpatio annorum centum?* Bene, magiſter, diſpoſui ita. Dic tu nunc quæ ſumma naſcatur. *Dico non omnino futuros* 350. Hei mihi, Magiſter, aberraſti, ſolœciſmum immanem in Arithmetica commiſiſti. Proveniunt enim $23255\frac{175}{215}$ quæ ſumma tuam 350 excedit 22905. Ego igitur nunc cum meis 23255 ſtruam Turrem Babylonicam, ac regna condam quinquaginta: tu eum tuis 350. lateres coque & cementum para.

DEFENSIO XXVII.

Ex tribus Patriarchis intra centum annos multa hominum millia naſci potuerunt.

Quia tibi multiplicatio generis humani poſt diluvium adeo abſurda videtur; agedum fidem

fidem tuam rationibus Arithmeticis expugnemus. Postulata duo sunt, quibus datis haud difficilis demonstratio erit. I. annos xxx post diluvium generationem constituere. Hoc clarum ex Mosis laterculo Hebræo etiamsi tu neges, & generationem ex tuis LXX. ad annum cxxx extendas. Non enim nunc curandum quid tu dicas & credas, sed quid verum sit. II. Multiplicationem factam per denarium. Ita ut singulis Patriarchis deni filii, atque ita porro reliquis adscribantur. Hæc conditio æquissima est. Nam tantum abest ut absurdum videri debeat propagationem per denarium factam, ut admodum credibile sit plerisque plures filios fuisse, ac non omnes recenseri in Catalogo Gen. 10. sed illos tantum qui conditores populorum fuerint & capita gentium, reliquis omissis, qnia peculiares gentes non constituerunt, sed aliorum accessio facti sunt. Hujus autem sententiæ rationes hæ sunt; quia vox בני sumitur non tantum pro singulis personis, verum etiam pro integra natione: deinde quia multa in Catalogo illo Gen. 10 sunt nomina non personarum sed gentium ut Kittim, Dodanim, Mitzraim, Ludim, Anamim, Leabim, Naphtuchim, Pathrusim, Cassuchim, Pelischtim, Caphtorim, Jebusi, Emori, Gir-

Girgasi, Hivi, Arki, Sini, Arvadi, Zemari, Hamarhi: III. Quod Polygamia & concubinatus mox à diluvio invaluerit. Unde πολυτεκνία, sicut exemplo Abrahami, Jacobi, Gideonis & aliorum patet. Ergo in hac quæstione non tam ad annorum paucitatem, quam ad uxorum & liberorum multitudinem respiciendum est. Et hac ratione si multiplicationem tantum per denarium instituamus, intra aliquot generationes ex tribus filiis Noachi 300000 hominum generari potuerunt.

Sem,	Ham,	Japhet.
10	10	10
100	100	100
1000	1000	1000
10000	10000	10000
100000	100000	100000

Statuamus statim ac ex arca egressi fuerunt Patriarchæ, eorum uxores liberos genuisse. Quippe Arphaxad ex Semo secundo anno post diluvium natus. Ita primo post diluvium decennio xxx. habes. Ex illis intra alios xxx annos trecentos. Ex trecentis intra alios xxx annos triginta millia. Ita intra centum viginti annos multa hominum millia habebimus, idque absque miraculo; ordinaria

generatione. Quanta autem priscorum πλυ]εκνία fuerit ex Historiis patet. Abdon habuit quadraginta, septuaginta Gedeon, Masinissa quadraginta quatuor, Scylurus octoginta, Herotimus Arabum Rex apud Trogum sexcentos; quod ne fabulosum videatur, recens est memoria Regis Gilolo qui anno 1519 regnavit & sexcentos filios ex numeroso pellicatu genuerat, teste Rhamusio.

DEFENSIO XXVIII.

Vindicatur Catalogus Regum Africani.

Perinde tibi esse quidquid scribas seu potius describas, facile intelliget, qui Catalogum illum tuum Regum qui ante diluvium apud Chaldæos regnasse feruntur cum ipso Africano contulerit. Quot enim verba totidem quoque continet errores. Confer ergo illum cum Africano & videbis te crimine falsi teneri. Catalogum illum Regum non potui ipse cogitare vel ex memoria scribere, sed descripsi eum ex Africano, & quidem ultimæ editionis Scaligeri. Nulla differentia, nisi quod pro ὀιάρτης positum Otiortes, & ex Αρδάτη factum Artus, cum quædam exemplaria ita legant. Ego autem non tantum laterculum illud, verum etiam quid Abidenus

Apol-

Apollodorus, Alexander Polyhiſtor apud eundem Africanum de illis Regibus tradant, conſului, & quantum in nominibus diſcrepent annotavi. In Aloro conſentiunt. Ἀλάσπαρον Apollodorus vocat Ἀλάπαρον, ut & Abidenus. Amelon Abideno eſt Ἀμίλλαρος. Metalarus eidem Μεγάλανος, Daorus Abideno Δαῶς, Apollodoro Δάωνος, Aedorachos Alexandro Polyhiſtori eſt Εὐεδώρεχος. Abidenus autem Aedoracho ſubjungit Ἀνώδαφον. Otiartes Alexandro Ἀρδάτης. Vide hic, quam nullo jure & me deſcriptorem vocaveris & corruptorem, cum tamen omnia ex Africano depromſerim. Tu vero oſtendis quantum tibi fidei dandum in antiquis citandis authoribus quos tam negligenter & obiter inſpicis, ac quam fruſtra triumphes, & quam miſere per caputque pedeſque, ut ruſticus Catulli de ſublimi præcipiteris, & quidem ab illo Africano quem tibi patronum fore ſperaveras. Tale etiam illud eſt quod ex Bocharto ſed oſcitanter deſcripſiſti, *Chuſum filium Chami, Asbolum vocant Græci, quia nempe* Χοῦς & Ἄσβολος *idem.* Hoc autem falſum eſt: nam non Χοῦς ſed Χοῦμ חום atrum & ἄσβολον ſignificat, ut ibidem Bochartus monuit. Impoſterum ergo diligentius ante inſpicias authores neceſſe eſt quam alios reprehendas. Turpiſ-

 ſimum

ſimum enim eſt in illo cujus alios inſimulas crimine, ipſum te deprehendi.

DEFENSIO XXIX.

Chus conditur Chaſdeorum ſive Chaldaorum.

Chuſum rectè ſtatui conditorem Chaldæorum. Eſt enim terra Chus magna pars Arabiæ, Babyloniæ & ipſa Suſiana, quam Arabes hodieque vocant Cuſeſtan, ut jam ante dixi. Etſi vero ſecundum regulas Grammaticæ Hebrææ Chaſdim non deſcendat à Chus, noſti tamen quanta Arabum (quos in Chaldæa regnaſſe credis) in pluralibus fingendis ſit licentia. Nihil minus verum eſt quam à Chaſed nepote Abrahami Chaſdim dictos. Prolepſes interdum dari non nego: ſed an ſemper? an hoc loco? Ab indefinito ad definitum, à particulari ad univerſale nihil ſequi dicunt. Bochartum legi æque fortaſſe diligenter ac tu: quod non intelligam unde noſti? & an tu ſolus ille es qui legere & intelligere Bochartum potes? Lege ergo quæ de Chuſo, Nimrodo ac Babylonio regno tradit lib. IV. cap. XII. & tum judica, an eum intellexeris.

Defensio XXX.

De Regno Ægyptio.

Audes negare *Ægypti* regnum à Misraimo conditum. Cur ergo ipsa Ægyptus perpetuo terra Misraim appellatur? Omnes nimirum, illi post diluvium gentium conditores etiam primi Reges fuerunt. Neque vero Usserius hanc suam opinionem authoritati Manassis solius superstruxit, sed quia ejus calculus in tempora quibus Misraim coloniam in Ægyptum deduxit, exacte incidit. Etiam illius Constantini Chronico remoto, nihilominus verum manet quod dixit Armacanus, licet annus tam præcise ostendi non possit, quem ille, quia de re constabat, ex Manasse hausit, cum & hic quantumvis semibarbarus scriptor, procul dubio id non confinxerit, sed suos authores habuerit. Parens tuus scriptorem haud aspernandum vocat; Janus Douza chronica ejus accuratissima appellat. Nec obstat quod primum *Ægypti* Regem Abimelechum vocat. Commune illud nomen Regum *Ægypti* vicinorum fuit, & alii ante illum qui Abrahamo σύγχρονος fuit, extare potuerunt. Recte autem finis regni *Ægyptiaci* ad Cambysen refertur, etsi po-

ſtra aliquoties Ægyptii rebellarint, ſed mox iterum domiti & Reges eorum expulſi. Magna igitur ἀνιστορησία eſt dum dicis: *reges Ægyptios regnaviſſe uſque ad tempora Alexandri Magni.* Ochus enim annis XIII. antequam Alexander in Macedonia regnum iniret, Ægyptum recuperavit, id quod ex Uſſerio facile diſcere potuiſſes. Minime igitur quæ contra Conſtantinum Manaſſem & Uſſerium diſputas, opinioni quam de te conceperunt multi, reſpondent. Turpiter enim in hiſtoria laberis, dum Ægyptiorum regnum ab Abrahamo ad Alexandrum Magnum uſque duraſſe ſcribis.

DEFENSIO XXXI.

Aſſyriorum Reges vindicantur.

Nomina Regum Aſſyriorum ex corruptis apographis & collectaneis habere maluiſti quam ex ipſo Africano. Falſum hoc eſſe & nihil à me in nominibus mutatum niſi quod pro Græcis Latina poſui, collatio oſtendit.

Xerxes	Ξέρξης
Soſarmus	Σώσαρμος
Horus	
Anabos	Ἄνεβος
Amyntas	Ἀμύντης

Lao-

Laosthenes	Λαοσθένης·
Lamprides	Λαμπρείδης
Lamprais	Λαμπρεαὴς
Panynas	Πανύας
Dercylus	Δέρκυλος
Eupacmes	Ευπάκμης
Pyritiades	Πυρτιάδης

Nomina Latina ex Scaligero expressi, in quibus nulla differentia cum Græcis, nisi in unica literula Anabos Ανεβος & Pyritiades πυρτιάδης. Horum ex Plinio sumsi qui lib. xxx. cap. xv. inquit: *Invenit hoc Horus Assyriorum Rex.* Dixi horum nominum alia esse Persica, ut *Xerxes*, alia Medica, ut *Sosarmus*, alia Ægyptia, ut *Horus*, *Anebos*, alia Macedonica, ut *Amyntes*, alia Græca, ut *Laosthenes*, *Lamprides*, *Lamprais*, *Panyas*, *Dercylus*, *Eupacmes*, *Pyritiades*. Tu vero; *Si vis ut existimem te saltem aliquid Græce scire, doce ubinam alibi hæc vocabula occurrunt & quid Græce significent* Ευπάκμης, Πανυᾶς, Λαμπρεαῆς. Faciam id vero libenter tum tua causa, quem hæc ignorare conjicio, tum meâ, ut saltem aliquid Græce me scire existimes. De voce Λαοσθένης nullam credo difficultatem movebis, ideo eam etiam silentio transmittis. *Dercylus* occurrit in parentis tui de

Histo-

Hiſtoricis Græcis lib. III. pag. 352 & notiſſimus eſt in hiſtoria Græca Dercyllides. *Panyaſis* eſt apud eundem lib. iv. cap. 6. Nec eſt quod ob terminationem *is* litem moveas. *Lampries* apud eundem lib. II. cap. 10. Ευπάκμης & prima & ultima parte Græcum eſt, ut inſpicienti patet. *Lamprides* à λαμπρὸς vel λαμπηρὸς vel λάπερ derivari poteſt ut & λαμπερὴς. Vides igitur hæc nomina vel manifeſte Græca eſſe, vel Græcis admodum affinia. Tune an ego imperiti in lingua Græca ſimus, nunc ipſe judica. Sed dicis *nomina barbara ut aliquid notent à Græcis aut inflecti ſolita aut idem ſignificante vocabulo exprimi, idque* ex Eupolemo probas. Quin hoc aliquando factum ſit quis negat? ſed probandum tibi fuerat hoc loco factum, & cur alia vocabula barbara intacta reliquerint, hæc vero tranſmutarint. Tandem *pudet te talibus nugis aliquid reponere.* Quia nimirum non potes & hæres velut mus in pice. Ut locum Herodoti qui lib. I. cap. xcv. ſcribit Aſſyrios Aſiæ imperium annis ıↄ xx obtinuiſſe, enerves; dicis *nullam eum mentionem vel Ninyæ vel Sardanapali facere.* Fecit autem alibi & res ipſa docet hoc eum innuere, ut & aliorum Hiſtorirum conſenſus, ſub Sardanapalo Medos defeciſſe, idem Creſias & Diodorus tradunt. Robur argumen-

gumenti in eo consistit, quod *quingentos* tantum & *viginti* annos Assyriorum imperio gravissimus autor & antiquissimus adscribit. Quomodo ergo longa illa à Nino ad Sardanapalum Africani per annos mille quadragintos & amplius subsistere potest series? Dicis *paulatim Medos deficere cœpisse.* unde illud *paulatim* hausisti, & quis hoc ita factum tradit? Si inspexisset Dionysium Halicarnasseum longe melius de Assyriorum rebus scribere potuisses. Ita enim ille lib. 1: *antiquum illud Assyriorum Imperium retro ad fabulosa usque pertingens tempora,* ὀλίγου τινὸς ἐκράτησε τοῦ Ἀσίας μέρους. Ἡ δὲ Μηδικὴ καθελοῦσα τὴν Ἀσσυρίων καὶ μείζονα δυναστείαν περιβαλλομένη χρόνον οὐ πολὺν κατέσχεν ἀλλ' ἐπὶ τῆς τετάρτης κατελύθη γενεᾶς. *Modicam quandam Asiæ portionem obtinuit.* Deinde in Medos *translatum & auctum etiam opibus non longo duravit tempore sed quarta desiit ætate.* Ubi vides quantum Regibus illis tuis Assyriis gravissimus author tribuat, quippe quos ad fabulosa tempora rejicit. Quicquid autem olympiades præcedit id Græci pro fabuloso habent. Deinde exiguam tantum Asiæ portionem obtinuisse. Falsum igitur quicquid de vasta illa Nini, Semiramidis & successorum potentia scribunt Diodorus & alii. Sed & Strabo quam libere, quam judiciose redarguit illos qui antiquissima

illa Perſarum, Medorum, Syrorum deſcripſerunt, Verba ejus inſpice, ſi placet, lib. xi. & hæc inprimis nota: οὔτε τὰ παλαιὰ τῶν Περσικῶν οὔτε τῶν Μηδικῶν ἢ Συριακῶν εἰς πίστιν ἀφικνεῖτο μεγάλην, διὰ τὴν τῶν συγγραφέων ἀπλότητα καὶ τὴν φιλομυθίαν.

DEFENSIO XXXII.

Sinenſium hiſtoria vera ſecundum Martinium quando incipiat.

Nuſpiam magis tibi places quam in Sinenſi Chronologia, & Martinium plane exiſtimas ſomnia tua probare, qui tamen nihil minus facit. Refert ille tantum quid Sinenſes ſibi perſuadeant, non vero eorum opinionem probat, ac ne poteſt quidem ſine præſentiſſimo periculo. Nam cum Jeſuita ſit & verſionem Latinam pro authentica habeat, quæ haudquaquam permittit ut ter mille annis ante natum Chriſtum in Sina tam late & glorioſe regnatum ſit, facile, quæ tua eſt perſpicacitas, vides, nihil plane te juvari à Martinio qui eam ipſum Sinenſium traditionem pro fabulis habet. Quomodo enim in Sina ante diluvium regnatum fuit, cum nondum Meſopotamiæ aut Syriæ fines genus humanum, ut tu vis, exceſſiſſet? Verba vero ejus; *ante quæ tempora nihil ſe veri habuiſſe*

in ſuis hiſtoriis fatentur, æque pro mea ſententia ac tua opinione facere poſſunt; ſunt enim ambigua ac tam annos MMCCVII. quam MMDCCCXLVII reſpiciunt. Et quia ipſa authoritatem Martinii paulo poſt rejicis, eo quod tradit Sinam à familia Cina appellatam, quod tamen longe veriſimilius eſt, cur me ſtare jubes ejus dictatis, & credere tempus hiſtoricum ter mille annos ferè continere ante natum Deum? Cætera quia non niſi contemtim rejicis, nihil autem ad rem reſpondes, ne ego quidem operoſe defendam, præſertim cum non ita otio abundem prout tu, & jam non minus graviter feram qualemcunque temporis jacturam dum tibi vacare cogor. Quæ de Sinenſium antiquiſſimis rebus attuli, ex optimis autoribus petita ſunt, qui cum diu in Sinis vixerint, qua temeritate eorum tradita rejicis, qui ex ſolo Martinio (quem etiam ſicubi tibi contrarius, improbas) ſapis & nullam plane Sinicæ linguæ aut librorum notitiam habes? Traductam ex Ægypto in Sinas coloniam non ex Kirchero ſed probatiſſimis autoribus, quorum etiam loca adduxi, probo. Tu quid aliud regeris quam ſolemne illud *quam ſunt abſurda*? Deniq; Kercherium etiam ſpernis, & me illi, cum magna tam exceptione

comparas. Tu nimirum solus sapis; cæteri ut umbræ volitant.

DEFENSIO XXXIII.

Confutius antiquissimus scriptor Sinensium est.

Me non nugari dum Confutium antiquissimum Sinensium scriptorem dixi ut videas, en tibi verba Trigautii qui æque peritus Sinensium librorum & linguæ fuit atque Martinius. Sic igitur ille lib. 1. de Expeditione Christiana apud Sinas cap. 4. *Maximus inter omnes Philosophos Sinensis Confutius appellatur, quem invenio quingentis quinquaginta uno annis antè Christum in luce prodiisse & annis amplius* LXX. *vixisse.* Ac paulo post: *Sinensium ille Philosophorum princeps Confutius quatuor antiquorum philosophorum volumina concinnavit ipseque quintum suo Marte conscripsit. Hos libros quinque doctrinas appellavit. Præter hæc quinque volumina, è duobus tribusve Philosophis, Confutio scilicet ejusque discipulis in unum volumen redacta sunt varia nullo ordine præcepta, Similia, sententiæ: Id volumen quia libris quatuor continetur, Tetrabiblion appellarunt.* HI NOVEM LIBRI SUNT BIBLIOTHECARUM SINENSIUM ANTIQUISSIMI, ET E QUIBUS PROPE RELIQUI PRODIERUNT, *heiroglyphicos item*

maxi-

maximam partem continent characteres. I nunc & dic: *De confutio similiter nugaris, cum antiquissimum illum esse dicis scriptorum Sinensium.* Nisi forte id tibi displicet quod Confutium cum Trigantio, non Cungfutium cum Martinio appellavi.

Defensio XXXIV.

Sinenses sunt Hippophagi.

Quæ de Sinensium nomine & Hippophagis dixi, autoritate Martinii & Trigauti nituntur qui totam ætatem ea in gente traduxerunt. Tu quid contra affers? Nihil nisi contemtum & vaticinium. *Ipsam Martinij opinionem quod spectat, nec illa placet. Non dubito quin mutet sententiam.* Id te male habet quod Seras tuos Hippophagos vocavi. Et tamen fateris eos equina vesci. Qui autem equina vescuntur, Hippophagi utique sunt, uti qui humana, Anthropophagi. At *manifeste eos à Seribus distinguit Ptolemæus.* Manifeste fateor sed non bene. Si enim Ptolemæus vidisset Seras tuos equina vesci, utique eos ab Hippophagis non distinxisset sed dixisset *Seres qui & Hippophagi.*

DEFENSIO XXXV.
Historia Sinensium multis fabulis contaminata.

Non diffitetur Martinius multa in Historiis & Geographia Sinensium fabulosa & ridicula occurrere; eaque passim ipse recenset & ridet. Inspiciantur vel hæc tantum quæ de Xinnungo primo Imperatore Sinensium habet pag. 41. de Hiaouo p. 47. de Caosino p. 81. & alia p. 63. 67. 71. 108. ac inde quantum fidei Annales illi Serum antiquissimi mereantur, quisque secum perpendat. Nihil certius est vel ex paucissimis quæ Martinius passim Geographiæ suæ inseruit, quam Annales Sinensium, præsertim in antiquissimis illis rebus, plenos fabularum & in nominibus Regum & rebus gestis esse, adeoque non majorem mereri fidem quam Saxonem Grammaticum, Joh. Magnum, & alios fabulosos scriptores. Inde facile colligitur quantam eorum antiquitatibus fidem adhibendam statuat. Cum enim Martinius versionem Latinam pro authentica habeat, & Ecclesiæ Romanæ hodiernæ calculum sequatur, quæ Kainanem ignorat & in annis plane cum Codicibus Mosis Hebræis convenit; hinc manifestum evadit, annos illos sexcentos & quadraginta eum

pro

pro fabulosis habere ac veram demum Historiam à familia Hiaa auspicari. Tradit ille *omnium Sinensium provinciarum antiquissimam Xensi esse; & quæ non ita multò post communem illam terrarum orbis eluvionem à primis Sinæ incolis fuerit habitata, eosque ab occasu magis versus ortum processisse.* Si igitur post diluvium demum Martinius statuit Xensi fuisse habitatam à Sinis: illud autem incidat secundum calculum Ecclesiæ Romanæ in A. M. 1656. quomodo vera historia Sinensis ter mille annos complecti potest ante natum Deum? vides igitur vel ipsum tibi refragari Martinium ac nihil veri in Serum historia ante Imperatorem Yvum agnoscere. Aliud autem est quid Sinenses, aliud quid Martinius credant: illi possunt putare certiorem suam historiam incipere à Septem Regibus qui ante Yvum regnarunt, etiam si hoc falsum Martinius secundum fundamenta Christianæ fidei statuat. Vides quam temere asseras Martinium tuis opinionibus favere, qui nisi ab Ecclesia Romana ad Græcam deficere & hæreticus fieri velit, haudquaquam Sinensem historiam veram ante Yvum censere potest.

De-

DEFENSIO XXXVI.

Errores Castigatoris in Serica Regum Chronologia.

Aliud exemplum peritiæ tuæ in Arithmetica Reges Serum suppeditant, quos Dissertationis cap. XI. pag. XLVI. ita recenses: *Serum tempus Historicum incepit annis ante natum Christum* 2847. *Septem tum simul Reges habuere*, (non simul sed successive & quidem per electionem ut Martinius refert, cujus verba non rectè intellexisti,) *quorum posteritas per annos* 640 *duravit. Exin regnum Serum devolutum est ad familiam Hiaa per annos* 441. *Huic successit Xanga familia quæ regnavit annis* 1144. (*annis tantum* 644; *ergo à te aberratum annis* 500) *Dein Cheva familia annis* 376 (annis 876: ergo rerum erratum annis 500) *Mox Cina familia annis* 40: *inde Hanna familia annis* 460 (470: erratum 10 annis) *Postea quinque Reges & Tanga familia simul annis* 209. (199: iterum error 10 annorum) Ut autem omnes videant quam tu idoneus sis ad Chronologiam emendandam & annos supputandos, ponam in tabella annos Martinii, deinde tuos, & denique verum calculum.

Ante

Ante Christum			
2847	Septem Imperatores electi Familia	Anni Castigatoris	Anni Veri.
		640	640
2207	– *Hiaa*		
		441	441
1766	– *Xanga*		
		1144	644
1122			
	– *Cheva*		
246		376	876
206	– *Cina*	40	40
Post Christum	-*Hana*	460	470
264	– *Cyna*	155	155
419	– *Vtai &*	209	199
618	*Tanga*		

Aberrasti igitur in tam paucis familiis supputandis annis 1020; quod tamen longe abest ab immani illo errore 22905 quem paulo ante à te commissum ostendi.

DEFENSIO XIV.

Diluvium Universale, non particulare fuit, ac omnia omnino animalia & homines, extra arcam, deleta.

Controversiam quæ mihi tecum de diluvio intercedit, Universale illud fuerit ita ut tota terræ sphæra aquis fuerit obruta, & omnia extra arcam animantia extincta, an vero particulare tantum, Syriacum vel Mesopotamium, diffisus credo rationibus tuis, ad arbitros rejicis, eosque constituis *illustres viros Bochartum, Dallæum, Amyraldum, aliosque Theologos dummodo rationum momenta æqua lance ponderare sciant.* Miror cur tu Belga ad exteros provoces & præsertim ad Bochartum, qui tuũ Cainanum spurium esse multis argumẽtis probat lib. II. Geogr. cap. XIII. nisi tamen lecta tua Dissertatione sententiam mutaverit. Non solùm in hoc sed & in aliis contrarius tibi est, ut videre potes l. I. c. I. & passim. Josepho tuo quantum in historia, lingua Hebræa & Chronologia tribuat vide lib. II. cap. 26. & l. IV. c. 36. lib. II. Chanaan. cap. IV. & XVI. Adeone maligne judicas de popularibus tuis ut reperire nequeas inter illos tres viros æque illustres ac Bochartus, Dallæus, Amyraldus sunt? an vero Theologi Belgæ rationum momenta ponde-

rare

rare nequeunt? Quia ergo illi sunt extranei & in alieno territorio nullam habent jurisdictionem, provoco ego ad Vœtium, Maresium, Altingium atque ad ipsas Synodos & Academias Belgicas.

Recte ex sententia Spiritus Sancti, scopo Dei. verbis Mosis, asserui diluvium universale fuisse. Quid tu contra affers? nihil nisi nugas & facetias de asino Madaurense, viridariis Novæ Zemlæ, miseris nautis Batavis. Ubi vero dixi in Nova Zemla esse lucos consitos & specus roscidos? ad Oceanum tamen glacialem esse ne tu quidem qui in Suecia tamdiu fuisti, negabis, ac locis ejusmodi delectari ursos. Quæris qui *Rangiferi adeo longe extra natale solum progredi, diuque adeo in arca vivere potuerint?* Factum hoc mandato divino.

De aquis quam iterum jucundus es! Dicis me scripsisse tempore diluvii *pluvias è cœlo stellifero cecidisse.* Ubi hoc scripsi nugator? Denuo in crimine falsi deprehenderis. Non si è cœli orbibus ideo è cœlo stellifero deciderunt. Quod Scriptura vocat cataractas cœli, hoc ego cœli orbes vocavi. Dic ergo mihi qui omnia scire vis, quid sint illæ cataractæ cœli? Pluviæ illæ diluvii non fuerunt ordinariæ sed extraordinariæ. Si supra

ſexcentos vel ſeptingentos paſſus ad ſummum nullæ uſpiam ſunt pluviæ. (quia tu fortaſſe ſpatium illud in aëre pedibus dimenſus fuiſti) ſcias id de particularibus non univerſalibus pluviis verum eſſe poſſe. Deus autem aperuiſſe dicitur non aliquot tantum ſed omnes fontes abyſſi & cataractas cœlorum.

Pronuncient nunc arbitri uter noſtrûm magis ſit inſulſus vel ineptus in hac materia.

Quantus vero Theologus ſis, jam in brutis quorum patrocinium ſuſcipis, & quæ cum pœna eximas, interitui tamen deſtinas, oſtendis. Infeliciter tibi ſucceſſerat explicatio loci ad Rom. V. ubi apertè negas peccatum originale ſive imputationem primi peccati Adami: nunc ergo Theologiam circa bruta exerces, ſperans ſcilicet te minus in illis peccaturum quam circa homines peccaſti. Dicis *juſtam fuiſſe indignationem Dei.* An ego hoc negavi? Dicis *homines indignos fuiſſe beneficiis à Deo acceptis.* Et hoc vero eſt; ſed tamen

Quid meruere boves?

Utcumque homines indigni fuerint ſervitio & munere animalium, adeoque Deus juſte illis indignaretur, animalia tamen quid fecerant? Annon Deus illa poterat conſervare etiam deletis ho-

hominibus, ſi non in alium finem, at Noachi bono, & ornamento terræ futura. Recte igitur dixi non debere quenquam quærere quare Deum pœnituerit creaſſe animalia, ſed hic præcipue ſpectandum beneplacitum Dei.

Valde ſubtilis videri vis circa beſtias, quas negas pœnarum eſſe capaces, quia non peccent. Cur ergo bruta quoque à Judice carnificis gladio ſubjiciuntur? Cur ipſe Deus in Levitico ea ſupplicio deſtinavit? Sed tu nimirum accurate loqueris & interitum beſtiarum, hominum pœnam eſſe pronuncias. Eſto igitur hoc ita, adeoque victoriam tibi in hac tam magni momenti quæſtione bruta concedam; feſſus enim ſum & paulatim ad littus ex tuo diluvio Meſopotamio vel Syriaco enato.

Nunc deſertis beſtiis homines iterum aggrederis, & te plurimas adhuc difficultates circa diluviũ moturum comminaris, ſimulque alia addis, parum te digna & ineptiarum plena. Deinde neſcio quid de centro quod non tantum ſit in medio, verum etiam ſuperficie, muginaris, quæ quorſum ſpectent aut quid ad diluvium faciant, neſcio. Nulla enim collectanea Geographica ſcripſi. Aberras forte in nomine. Cæterum miror qualis tu ſis Geometra,

qui centrum negas dari in superficie. Ita igitur secundum tuum Euclidem circulus in superficie descriptus, centro carebit. Sed terminum tandem aliquando statuis. Quod tamen antequam facias novum & inauditum hactenus diluvium comminisceris, in quo animalia illa tantum submersa statuis quæ erant in Mesopotamia fortasse aut Syria, reliqua autem, præsertim Rangiferi in Lapponia, salva manserint. Idque probas ex vocabulo כל quod plurimis in locis non tantum de toto sed & de parte aliqua integra accipiatur, imprims ex eo quod diabolus Christo omnia regna mundi ostendisse dicitur: & Augustus censum per universum orbem instituit. Deinde etiam quia Origenes & alii Rabbini arcæ mensuram in infinitum pene extenderunt, quam etiam ibi numeris ingentibus definis. Denique dicis alios etiam ita sensisse ut tu, ideoque pro conclusione id vis, te ergo non solum delirasse. Quam parum abest quin dicas non omnes homines submersos, sed illos tantum qui in Syria & Mesopotamiâ erant; reliquos verò præsertim Seras tuos & Ægyptios eam cladem evasisse. Ita enim Chronologia tua Serica quæ sexcentos annos diluvium superat, & Dynastiæ aliquot Ægyptiorum, essent in salvo. Æquè enim argumenta tua quibus miseris animalibus parcis, etiam Seribus & Ægyptiis prosunt; nimirum τὸ כל strictè acceptum locus Math. IV. 8. Luc. II. I. Cæterum quia jam ad arbitros provocasti, & ego fessus sum, nunc nihil ad tua somnia dicam. Tandem cum Diabolo concludis & nescio quem prophetam ex me facis; sed satis sit.

DEFENSIO XXXVI.

Ἤπειρος sumitur pro toto terrarum orbe.

UT cœpisti, ita definis, id est errores erroribus cumulas. Negas vocem Ἤπειρος pro toto terrarum orbo sumi.

sumi. An ergo Thucydides tibi erraſſe videtur, apud quem Ἤπειρος & γῆ unum idemque ſunt? Cujus etiam interpres monet aliquando Ἤπειρον eſſe univerſam terram, aliquando continentem. Quod ſi Ἤπειρος non continentem modo, verum etiam inſulas denotet, ergo totum terrarum orbem, id eſt omne id quo Hæbræi vocant יבשה designat. Ita autem accipi apud Herodianum lib. IV. cap. 3. legere potes, ubi Geta & Antoninus imperium dividentes terminos in Propontide conſtituunt. οὕτω γὰρ ἔλεγεν καὶ θεία τινὶ προνοίᾳ τὰς ἠπείρους διῃρῆσθαι. Et τὰς ἠπείρους τὸ πόντιον ῥεῖθρον διαιρεῖ. Jam vero maximæ & plurimæ inſulæ ad utramque partem ſpectabant. Et ſi Ἤπειρος ſolam continentem denotaret, excluſis inſulis, ſequeretur inſularum in diviſione Imperii nullam rationem habitam. Sed & planè aberras à mente Joſephi dum eum dilivium particulare tantum ſtatuiſſe dicis. Nam quod paulo ante dixerat εἰς θάλασσαν τὴν ἤπειρον μετέβαλε, id poſtea ita explicat: τὸ ὕδωρ ὡς ἐπὶ πήχεις πέντε καὶ δέκα τὴν γῆν ὑπερέχον. Idem igitur Joſepho ἤπειρος & γῆ ut & Thucididi & pro toto terrarum orbe accipitur.

Cæterum quia tu ſatis eſſe exiſtimas ad probandum aliquid, dummodo Joſephum pro te allegare poſſis, duos adhuc inſignes ejus errores imperitiæ in lingua Hebræa teſtes, ex Bocharto addam. Obſervat ille lib. II. Chanaani cap. 4. Joſephum כבול interpretari οὐκ ἀρέσκον, cùm Hebræis illa vox *conſtrictum* ſonet. Sed longe gravius Joſephi ἁμάρτημα de nomine Hieroſolymorum lib. VII. Bell. Judaici cap. 18. quod compoſitum eſſe dicit ex τὸ ἱερόν & Σόλυμα. Quo in loco tot ſphalmata quot verba. Hicne eſt ille Joſephus qui adeo excelluit in lingua Hebræa & per omnes Judæorum ſectas ambulavit, ac ab ipſis Pontificibus de penitiori legum ſenſu conſultus fuit! O miſeros Pontifices

qui

qui tali præceptore ad legem intelligendam opus habebant, cui Jerusalem Græcæ origines urbs videatur. Et tu tamen adeo furis si quis Josephum linguæ Hebrææ non admodum peritum fuisse dicat.

DEFENSIO XXXVIII. ET ULTIMA.

Castigatoris calumnia refellitur.

QUandoquidem mihi gratularis quod ex diluvio Mosaico Universali tam feliciter enatarim; æquum est ut vicem rependam. Te igitur durante tuo diluvio Mesopotamio & Syriaco credo interea in Lapponia inter Rangiferos fuisse atque ita cladem eorum celeritate evasisse.

Et quia negas illa temporum spatia quibus sacrarum scripturarum fidem exuperant gentiles, esse à Diabolo, scire velim à quo ergo esse putes? Nam si à Deo, non contradicerent scripturis. Tu vero non potes concludere absque nova calumnia. Ubi ego dixi *omnes Chronologias gentium Diabolum habere autorem*? Ubi *Calculum Apostolicum & Ecclesiasticum ex officina diaboli prodiisse?* Neque enim omnes Chronologiæ gentium fidem scripturarum exuperant; non certe Chaldæorum, Ægyptiorum & Sinensium si sano sensu intelligantur & à fabulis secernantur: de calculo Apostolico quod dicis, immanis non quidem Solœcismus sed calumnia est, non responsione sed execratione digna. De Ecclesiastico ipse tibi pag. 13. respondes, ubi dicis quod Ecclesia calculum Africani & Eusebii approbarit & secuta sit; illi autem expungunt Cainanem: sed desino.

FINIS.